NATUURKUNDIGE

VERHANDELINGEN.

S. 621. B. 69

NATUURKUNDIGE

VERHANDELINGEN

VAN DE

HOLLANDSCHE MAATSCHAPPIJ

DER

WETENSCHAPPEN

TE

HAARLEM.

TWEEDE VERZAMELING.

TIENDE DEEL.

Te HAARLEM, bij
DE ERVEN LOOSJES.
1854.

10

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

I N H O U D.

I.

Naamlijst van Directeuren en Leden der Maatschappij.

II.

Goodenovieae, auct. W. H. DE VRIESE.

III.

Prodromus Florae Bryologicae Surinamensis, auct. F. DOZY et J. H. MOLKENBOER, *Med. et Phil. Nat. Doctt.*

ZIJNE MAJESTEIT

W I L L E M I I I,

KONING DER NEDERLANDEN, PRINS VAN ORANJE-NASSAU, GROOTHERTOG VAN LUXEMBURG, ENZ. ENZ. ENZ.

P R O T E C T O R

DEZER

MAATSCHAPPIJ.

N A A M L IJ S T

DER

DIRECTEUREN EN LEDEN

VAN DE

HOLLANDSCHE MAATSCHAPPIJ DER WETENSCHAPPEN

TE HAARLEM,

VOLGENS DEN TIJD HUNNER BENOEMING.

D I R E C T E U R E N.

C. J. TEMMINCK, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Directeur van 's Rijks Museum van Natuurl. Historie*, te Leiden, 1805.

Mr. J. CORVER HOOFT, *Staatsraad*, te Amsterdam, 1812.

Jhr. J. P. TEDING VAN BERKHOUT, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, te Haarlem, 1817.

A. DE WILDE, te Utrecht, 1818.

A. WILLINK, *Kommandeur der Orde van den Nederl. Leeuw, Lid van de Staten van Noord-Holland*, te Amsterdam, 1828

Jhr. L. J. QUARLES VAN UFFORD, *Ridder der Orde van den Ned. Leeuw, Lid van de Staten van Noord-Holland, Wethouder van Haarlem*, te Haarlem, 1834.

Mr. A. H. VAN WICKEVOORT CROMMELIN, *Heer van Berkenrode, Hoogheemraad van Rijnland*, te Berkenrode, 1834.

Mr. J. P. A. VAN WICKEVOORT CROMMELIN, te Amsterdam, 1834.

Mr. F. W. *Baron* VAN STYRUM, *Ridder der Milit. Willems-Orde, Lid van de Arrondissements-Regtbank*, te Haarlem, 1835.

Jhr. Mr. D. T. GEVERS VAN ENDEGEEST, *Staatsraad*, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Lid van de Tweede Kamer der Staten Generaal,* te 's Gravenhage, 1839.

Mr. D. J. VAN EWYCK, *Heer van Oostbroek en de Bilt, Kommandeur der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Staatsraad*, *Commissaris des Konings in de provincie Noord-Holland*, te Haarlem, 1840.

W. WILLINK Jr., *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Lid van de Staten van Noord-Holland*, *Kamerheer des Konings* te Amsterdam, 1841.

A. W. *Baron* VAN BRIENEN VAN DE GROOTE LINDT, *Kommandeur der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kommandeur met de Ster van de Orde van de Eikenkroon*, *Kamerheer des Konings*, te Amsterdam, 1842.

Mr. F. A. VAN HALL, *Grootkruis der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Minister van Buitenlandsche Zaken*, te 's Gravenhage, 1842.

G. F. *Baron* THOE SCHWARTZENBERG EN HOHENLANSBERG, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, *Kamerheer des Konings,* te Beetgum, 1843.

F. VAN DER OUDERMEULEN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kommandeur met de Ster van de Orde van de Eikenkroon*, *Staatsraad*, *Lid van de Staten van Noord-Holland*, te Amsterdam, 1844,

Jhr. B. H. *Baron* VAN VERSCHUER, *Kamerheer des Konings*, te Amsterdam, 1845.

Mr. C. SANDENBERG MATTHIESSEN, *Heer van Petten en Nolmerban*, *Ridder van de Militaire Willems-Orde en van de Orde van den Nederl. Leeuw*, *Lid van de Staten van Noord-Holland*, te Haarlem, 1845.

I. F. HOFFMAN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Lid van de Staten van Zuid-Holland*, *Burgemeester van Rotterdam*, te Rotterdam, 1846.

Mr. F. G. FONTEIN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Wethouder van Haarlem*, te Haarlem 1849.

Mr. G. C. J. VAN REENEN, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon, Minister van Binnenlandsche Zaken*, te 's Gravenhage, 1850.

Mr. H. J. KOENEN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Lid van de Provinciale Staten van Noord-Holland en van den Gemeenteraad van Amsterdam*, te Amsterdam, 1850.

Mr. J. J. TEDING VAN BERKHOUT, *Lid van den Gemeenteraad van Amsterdam*, te Amsterdam, 1850.

Jhr. Mr. J. P. TEDING VAN BERKHOUT Jr., *Majoor Kommandant der Schutterij*, te Haarlem, 1851.

Jhr. F. V. A. RIDDER DE STUERS, *Ridder van de Militaire Willems-Orde en van de Orde van den Nederl. Leeuw, Luitenant Generaal, Buitengewoon Adjudant des Konings, Kommandant van Z. M. leger in O. I.*, te Batavia, 1853.

Jhr. P. H. BICKER, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, te Amsterdam, 1853.

P. C. LABOUCHÈRE, te Amsterdam, 1854.

D. BORSKI, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Lid van de Eerste Kamer der Staten Generaal*, te Amsterdam, 1854.

J. WILLINK A.D.Zn., te Amsterdam, 1854.

BINNENLANDSCHE LEDEN.

G. VROLIK, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Staatsraad, Med. Doctor*, *Hoogleeraar*, te Amsterdam, 1802.

M. SIEGENBEEK, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Hoogleeraar*, te Leiden, 1803.

P. J. VAN MAANEN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Med. Doctor*, *Hoogleeraar*, te Amsterdam, 1805.

L. A. VAN MEERTEN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, te Delft, 1806.

Mr. M. C. VAN HALL, *Kommandeur der Orde van den Nederl. Leeuw, Staatsraad*, *President van de Arrondissements-Regtbank*, te Amsterdam, 1809.

G. SALOMON, *Med. et Chirurg. Doctor*, *Lector in de Verlosk.*, te Leiden, 1811.

J. NIEUWENHUIS, *Hoogleeraar*, te Vleuten, 1811.

Mr. H. W. TYDEMAN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar,* te Leiden, 1812.

Mr. A. VAN GOUDOEVER, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Hoogleeraar bij de Letterkundige Faculteit van de Hoogeschool*, te Utrecht, 1813.

J. L. W. *Baron* DE GEER, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Ridder met de Ster der Orde van de Eikenkroon*, te Jutphaas, 1814.

F. J. VAN MAANEN, *Med. Doctor, Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Staatsraad,* te 's Hage, 1814.

Mr. JOH. ENSCHEDÉ, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Auditeur-Militair,* te Haarlem, 1816.

T. G. VAN LIDT DE JEUDE, *Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool,* te Utrecht, 1818.

Mr. J. BAKE, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar bij de Faculteit der Letteren van de Hoogeschool*, *Lid van den Raad der Gemeente*, te Leiden, 1818.

P. H. PEERLKAMP, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar*, te Hilversum, 1818.

Mr. C. J. VAN ASSEN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Staatsraad*, *Hoogleeraar bij de Faculteit der Regten van de Hoogeschool*, te Leiden, 1819.

J. G. S. VAN BREDA, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, *A. L. M. Phil. et Med. Doctor*, *Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool te Leiden*, *Directeur van de Natuurkundige Verzamelingen van Teylers Stichting*, *Secretaris dezer Maatschappij*, te Haarlem, 1821.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Med. Doctor*, *Hoogleeraar bij de Faculteit der Geneeskunde van de Hoogeschool*, te Leiden, 1830.

J. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Med. Doctor*, *Hoogleeraar bij de Faculteit der Geneeskunde van de Hoogeschool*, te Utrecht, 1830.

H. C. VAN HALL, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool*, te Groningen, 1830.

A. GOEKOOP, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Staatsraad*, *Inspecteur-Generaal voor den Waterstaat*, te Goedereede, 1830.

A. VAN BEEK, *Math. Mag. Phil. Nat. Doctor*, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, te Utrecht, 1831.

P. I. J. DE FREMERIJ, *Med. et Art. Obst. Doctor*, *Buitengewoon Hoogleeraar in de Faculteit der Wis- en Natuurkunde*, te Utrecht, 1831.

W. VROLIK, *Med. Doctor*, *Ridder der Milit. Willems-Orde*, 4e klasse, *Hoogleeraar*, te Amsterdam, 1832.

A. H. VAN DER BOON MESCH, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, *Math. Mag.*

Phil. Doctor, Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool, Lid van den Raad der Gemeente, te Leiden, 1832.

S. J. GALAMA, *Stads-Doctor in de Genees- en Verloskunde,* te Sneek, 1833.

C. L. BLUME, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Hoogleeraar, Directeur van 's Rijks Herbarium,* te Leiden, 1833.

J. VAN DER HOEVEN, *Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool, Lid van den Raad der Gemeente,* te Leiden, 1833.

G. C. B. SURINGAR, *Med. Chir. et Art. Obstet. Doctor, Hoogleeraar bij de Faculteit der Geneeskunde van de Hoogeschool,* te Leiden, 1833.

C. MULDER, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Med. Doctor, Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool,* te Groningen, 1833.

Jhr. P. F. VON SIEBOLD, *Med. Doctor,* te Leiden, 1834.

R. VAN REES. *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Math. Mag. Phil. Doctor, Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool,* te Utrecht, 1835.

J. GEEL, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Hoogleeraar, eerste Bibliothecaris der Hoogeschool,* te Leiden, 1835.

J. VAN DER VINNE, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Staatsraad,* te Prinsenhage, 1835.

W. A. ENSCHEDÉ, *Math. Mag. Phil. Nat. Doctor, Kommandeur der Orde van de Eikenkroon, Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool,* te Groningen, 1837.

F. KAISER, *Math. Mag. Phil. Doctor, Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool,* te Leiden, 1837.

G. J. POOL, *Med. et Chir. Doctor,* te Amsterdam, 1837.

Mr. J. BOSSCHA, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doctor, Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Ridder met de Ster der Orde van de Eikenkroon, Hoogleeraar in de Bespiegelende Wijsbegeerte en Letteren,* te Amsterdam, 1839.

J. P. DELPRAT, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, *Kolonel-Ingenieur*, te 's Gravenhage, 1839.

W. DE HAAN, *Mat. Mag. Phil. Nat. Doctor*, te Haarlem, 1839.

C. VAN HEYNSBERGEN, *A. L. M. Phil. et Med. Doctor*, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar*, te Haarlem, 1839.

H. SCHLEGEL, *Phil. Doctor*, *Conservator voor de Vertebrata, Osteologie en Fossiliën bij 's Rijks Museum van Natuurlijke Historie*, te Leiden, 1839.

W. C. H. STARING, *Math. Mag. Phil. Doctor*, te Haarlem, 1839.

B. F. SUERMAN, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogl. bij de Geneesk. Faculteit van de Hoogeschool*, te Utrecht, 1839.

Mr. J. R. THORBECKE, *Kommandeur der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Lid van de Tweede Kamer der Staten Generaal*, te 's Gravenhage, 1839.

G. J. VERDAM, *Mat. Mag. Phil. Nat. Doctor*, *Hoogleeraar in de Faculteit der Wis- en Natuurkundige Wetenschappen van de Hoogeschool*, te Leiden, 1839

C. A. BERGSMA, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, *Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Doctor*, *Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool*, te Utrecht, 1841.

W. H. DE VRIESE, *Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Doctor*, *Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit van de Hoogeschool*, te Leiden, 1841.

F. A. W. MIQUEL, *Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Doctor*, *Hoogleeraar in de Genees- en Plantenkunde*, te Amsterdam, 1841.

Mr. H. COCK, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar bij de Faculteit der Regten van de Hoogeschool*, *Lid van den Raad der Gemeente*, te Leiden, 1841.

Q. M. R. VER-HUELL, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *van de Militaire Willems-Orde Derde Klasse*, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, te Arnhem, 1843.

F. W. CONRAD, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kom-*

mandeur der Orde van de Eikenkroon, *Hoofd-Ingenieur van 's Rijks Waterstaat*, te 's Hage, 1843.

A. DE VRIES, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. Doctor*, *rustend Predikant der Doopsgezinden*, te Haarlem, 1844.

G. SIMONS, *Phil. Nat. Doctor et Math. Mag.*, *Directeur der Koninklijke Academie ter opleiding van Burgerlijke Ingenieurs*, te Delft, 1850.

H. F. FIJNJE, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Hoofd-Ingenieur van den Waterstaat*, te 's Hertogenbosch, 1850.

R. LOBATTO, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw, Hoogleeraar aan de Koninklijke Academie ter opleiding van Burgerlijke Ingenieurs*, *Adviseur voor de zaken der Maten en Gewigten bij het Departement van Binnenlandsche Zaken*, te Delft, 1850.

H. C. MILLIES, *Theol. Doctor*, *Hoogleeraar aan het Evang. Luthersch Seminarium*, te Amsterdam, 1850.

A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, *Ridder met de Ster van de Orde van de Eikenkroon*, *Hoogleeraar aan het Seminarium der Remonstranten*, te Amsterdam, 1851.

P. L. RIJKE, *Hoogleeraar bij de Faculteit der Wis- en Natuurkundige Wetenschappen van de Hoogeschool*, te Leiden, 1851.

C. J. MATTHES, *Math. Mag. Phil. Nat. Doctor*, *Hoogleeraar der Wis- en Natuurkunde*, te Amsterdam, 1851.

Jhr. Mr. J. DE BOSCH KEMPER, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Hoogleeraar in de Regtsgeleerdheid en de Staatswetenschappen aan het Athenaeum Illustre*, te Amsterdam, 1851.

Mr. J. VAN LENNEP, *Ridder der Orde van den Nederl. Leeuw*, *Kommandeur der Orde van de Eikenkroon*, *Rijks-Advokaat*, te Amsterdam, 1851.

A. A. SEBASTIAN, *Hoogleeraar*, te Amsterdam, 1851.

P. HARTING, *Buitengewoon Hoogleeraar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit der Hoogeschool*, te Utrecht, 1852.

Mr. P. ELIAS, *Kantonregter*, *Lid van de Provinciale Staten van Noord-Holland en van den Gemeenteraad*, te Haarlem, 1852.

P. J. VAN KERCKHOFF, *Hoogleeràar bij de Wis- en Natuurkundige Faculteit der Hoogeschool* te Groningen, 1853.

E. H. VON BAUMHAUER, *Hoogleeràar in de Scheikunde*, te Amsterdam, 1853.

P. BLEEKER, *Med. Doctor, Secretaris van het Bataviaasch Genootschap van kunsten en wetenschappen*, te Batavia, 1853.

BUITENLANDSCHE LEDEN.

M. PARROT, te Petersburg, 1804.
H. VON LICHTENSTEIN, te Berlijn, 1812.
L. HORNER, te Londen, 1812.
A. VON HUMBOLDT, te Berlijn, 1812.
R. BROWN, te Londen, 1830.
J. HERSCHEL, te Londen, 1832.
D. BREWSTER, te Edinburg, 1832.
J. G. W. STRUVE, te Petersburg, 1832.
J. F. L. HAUSMANN, te Göttingen, 1832.
W. BUCKLAND, te Londen, 1833.
E. EICHWALD, te Petersburg, 1838.
C. H. SCHULTZ, te Berlijn, 1838.
MARCEL DE SERRES, te Montpellier, 1838.
C. BABBAGE, te Londen, 1839.
ELIE DE BEAUMONT, te Parijs, 1839.
E BOUÉ, te Weenen, 1839.
GRAVES, te Parijs, 1839.
C. D. G. EHRENBERG, te Berlijn, 1839.
C. LYELL, te Londen, 1839.
MITSCHERLICH, te Berlijn. 1839.
MURCHISON, te Londen, 1839.
CONSTANT PREVOST, te Parijs, 1839.

C. L. BONAPARTE, te Parijs, 1841.
R. OWEN, te Londen, 1841.
C. F. P. VON MARTIUS, te Munchen, 1842.
G. MICHELOTTI, te Turijn, 1842.
J. MULLER, te Berlijn, 1843.
P. M. ROGET, te Londen, 1845.
J. D. FORBES, te Edinburg, 1845.
P. H. FUSS, te Petersburg, 1845.
M. FARADAY, te Londen, 1850.
S. PLÜCKER, te Bonn, 1850.
H. VON MEYER, te Frankfort a. d. Main, 1850.
H. R. GÖPPERT, te Breslau, 1850.
H. G. BRONN, te Heidelberg, 1851.
V. REGNAULT, te Parijs, 1851.
A. MILNE EDWARDS, te Parijs, 1851.
G. L. DUVERNOY, te Parijs, 1851.
J. DALTON HOOKER, te Kiew, 1852.
B. STUDER, te Bern, 1852.
G. JÄGER, te Stuttgardt, 1852.
I. TYNDALL, te Londen, 1853.
L. AGASSIZ, te Boston, 1853.
ESCHER VON DER LINTH, te Zurich, 1853.
O. HEER, te Zurich, 1853.

GOODENOVIEAE.

GOODENOVIEAE.

AD AUCTORITATEM

MUSEI CAESAREI VINDOBONENSIS, PARISIENSIS, ILLUSTR. ROBERTI BROWNEI, GUIL. J. HOOKERI, JOAN. LINDLEJI, FRANC. LESSERTII, LUD. PREISSII, FRED. LUD. SPLITGERBERI, ALIORUMQUE,

PROPOSUIT

GUIL. HENR. DE VRIESE.

FIGURIS ILLUSTRAVIT

Q. M. R. VER HUELL.

SCRIPTIO OBLATA EST SOCIETATI SCIENTIARUM BATAVO-HARLEMENSI, FESTUM SECULARE CELEBRANTI, D. XXI M. MAJI, ANNI 1852.

EDIDERUNT DE ERVEN LOOSJES.
HARLEMI 1854.

PROSTAT ET APUD
ARNZ & C°. DUSSELDORPII.

L. S.

Disciplinarum physicarum fundamenta, cum alibi, tum in nostra quoque patria, medio fere seculo XVIII esse posita, nemo nescit. Hoc enim constat, non solum plurimis iisque praeclare scriptis, sed etiam conjunctis multorum, qui altera seculi praeterlapsi parte sunt suscepti, laboribus. Ab hoc inde tempore etiam multae Societates, quas »doctas" dicere solent, originem habuerunt. Quales virorum disciplinas artesve excolentium congregationes hoc maxime tum consilium videntur habuisse, ut junctis viribus praestare conarentur id, quod singulorum vel paucorum opera effici non posset. Erant haec felicia tempora, quibus rerum naturalium investigatio, imprimis tamen Historiae Naturalis proprie sic dictae, initia orta sunt et exculta, duce LINNAEO, viro summo, cujus ingenium omnem rerum naturalium amplexum est ambitum.

Haec quidem ipsa periodus est, qua exorta est »Societas »Scientiarum Batavo-Harlemensis," quam constituerunt suisque sumtibus sustinuerunt Cives nonnulli Harlemenses, qui vel Consulis vel Magistratus alicujus munere essent functi, vel qui in patriam meritis, vel generis nobilitate inclaruissent. Accesserunt viri docti, sive qui salutiferam artem factitarent, sive qui in rebus physicis et mathesi indagandis, vel tandem, qui in literis aut jure vitae tabernaculum ponerent. Nobilioribus illis, qui Societati praeërant, nullum aliud erat propositum, nisi hoc ut disciplinis tuendis et promovendis Reipublicae prodes-

sent, ipsamque summi illius rerum Opificis gloriam extollere conarentur; quod, ipsis verbis »DEO ET PATRIAE", quibus Societatis inscribitur sigillum, optime declaraverunt. Quod, a condita inde Societate in hunc usque diem, ab iisdem egregie factum esse, gratos agnoscere nos oportet. Sodalibus vero civibusque nostris quantopere hi placuerint conatus, id magna testari potest series voluminum a Societate editorum, cum a sociis ipsis, tum vero ab aliis, civibus non minus quam ab exteris scriptorum.

Societatis acta, inde ab anno 1794, curavit MARTINUS VAN MARUM, qui maximam nactus est nominis celebritatem, cujusque merita et indolem singularem exposuit (jam beatus!) LENNEPIUS, vir vere eruditus, in oratione, qua, die festo seculari Societatis, qui erat 21 m. Maji anni 1852, eleganti et vero eloquenti ratione, ejusdem ortum, fata et progressus exposuit. Huic viro, de Societate nostra et disciplinis physicis vere merito jam octogenariam agenti aetatem successit Cl. J. G. S. VAN BREDA, in Universitate Lugduno-Batava Professor. Ab hoc inde tempore, quam novus temporibusque magis accommodatus, natus sit in illa Institutione rerum ordo, verbis declarare opus non est; nam rerum tanquam testimonia adsunt tot egregia scripta a Societate in lucem evulgata; in quibus edendis, non solum strenue omnem operam posuit vir celeberrimus, sed quorum origo etiam magnam partem ejusdem debetur consiliis, doctrinae et curis, idque sane non exiguo disciplinarum, quas nostra Societas curae habet, commodo et augmento. Quod ipsum, utinam laboris et perseverantiae optimum, nec sane parvum habeat, quo per longam seriem annorum fruatur praemium.

Erat omni tempore valde diversa festa secularia celebrandi ratio. Festis ludisve publicis, scenis, palaestris gaudebant alii;

in vino et poculis, aut epularum laetitia haec gaudia alii quaerebant. Quae vero qui plane respuit, is sane, me judice, humana nimis a se aliena putare videtur. Praeter hanc et alia quoque ratio est, quam ab istiusmodi festis minime alienam esse arbitror: ea nimirum, quae consistit in celebrandis iisdem, ratione hac aliave, quae ab illis, quas Societatibus doctis excolere propositum est, disciplinis, non procul absit.

Talia animo meditatus sum instante festo seculari »Societatis Scientiarum Batavo-Harlemensis;" nec omnino a festo illo die alienum esse judicavi, si, pro virium modulo, qualecumque offerrem studiorum specimen, quo tandem declararem quanti faciam insignem, quo me cumulavit honorem, quae me in sodalium numerum adsciverit.

Jam decennio fere operam navaveram pervestigandis plantis Goodenovieis, quae maximam partem ad Floram Australiae pertinent. In has igitur denuo inquirere, novas formas describere, descriptasque disponere constitui. Opellam non omnino levem, nec tamen absolutam vel perfectam paravi, eamque Societati obtuli. Audivit Haec peritorum Judicum opiniones, et opusculum evulgare constituit.

His igitur rationibus debetur, quam Societas Scientiarum Batavo-Harlemensis botanicis est oblatura, haec scriptiuncula, qua equidem nullam meliorem nec magis sinceram habui, quam, festum diem celebranti, offerrem Societati gratulationem.

De opusculo ipso nunc non est quod multis dicam; sed unum hoc afferre liceat, me in proponendis novis generibus non semper certissimos e flore vel fructu potuisse colligere characteres, quibus, tamquam certis limitibus finibusque, haec circumscriberem; contra, in iisdem proponendis, non raro nixum esse iis, quas habitus et formarum differentiae, saepe valde exquisitae, offerrent tamquam comparationis et differentiae no-

tas. Quod superest, studium Florae Novae Hollandiae, a Roberto Browneo, Principe Botanicorum, inchoatum, a pluribus aliis peregrinatoribus deinceps auctum et sedulo a botanicis excultum, jamjam novum stadium ingressurum esse, nemo est qui dubitet. Hi enim ingentes terrae tractus, hodie, Magna Britannia duce et auspice, tantopere explorantur et numero incolarum undique affluentium augentur, ut tempora non procul abesse videantur, quibus nova hominum societas Australasica, quae disciplinas, artes et oeconomiam Europeam in illas regiones transferat, illic sit exstitura. Exinde vero, quanti in tam nova et immensa hodiedum fere incognita mundi parte, exspectari possint disciplinarum physicarum et totius historiae naturalis progressus, verbis dici nequit. Atque sic quidem, explorato immenso illo Florae dominio, Botanice hujus quintae Orbis partis insigni modo poterit augeri. Haec jam nobis cogitantibus, persuasissimum esse debebit, omnia, quae hodie in Europa, circa hancce Florae partem proponuntur, specie licet consummata, tamen brevi intervallo annorum futura esse imperfecta et incompleta, innumeris novis plantis repertis, cum ad typos jam cognitos, tum vero ad novos eosque numquam visos referendis. At, sic tamen sperare licebit, ea, quae nobis perficere vel absolvere non contigerit, tandem meliori luce posse collustrari. Utinam illi, quibus licebit esse tam felicibus, ut disciplinam botanicam hoc nomine perficiant, his nostris conatibus benevole indulgere velint.

Scripsi in Horto Botanico Universitatis
Lugduno-Batavae, d. I. m. Maji 1854.

Guil. Henr. de Vriese.

GOODENOVIEAE.

GOODENOVIAE *Rob. Brown. excl. Brunonia. Prodr. Flor. Nov. Holl. p.* 573. *gen. rem. p.* 24.
GOODENIALES *Lindl. Veg. Kingd. p.* 694.
GOODENIACEAE *Benth. in Hug. Enum. p.* 68.
GOODENOVIEAE *de Cand. prodr. VII.* 502. *Endlicher gen. pl. p.* 505. *Presl. in Dreg. Comment. f.* 2. *p.* 292. *Lindl. Veg. Sw. Riv. Colony-App. Bot. Reg. XXVI.* 1836. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 400. *Anal. Gooden. in Ned. Kruid. Arch. II.* 1850. *Schnizlein, Iconogr. fam.* 123.
CAMPANULACEARUM *pars Juss. gen. p.* 184.

Calyx superus vel semisuperus, vix vere inferus dicendus et potius imae ovarii basi adnatus, 5-fidus, 5-3-partitus, limbo quandoque abbreviato, integro, interdum obsoleto vel nullo, aequali, inaequali, persistente vel aucto. Corolla gamopetala, plus minus irregularis, decidua vel marcescens, tubo antice fisso, interdum biglanduloso, quandoque 5-partibilis, limbo 5-partito, 2-aut rarius 1-labiato, laciniarum disco lanceolato, plano, lateribus (alis) texturae tenuioris magisque corollinae, elevatis, aestivatione induplicatis, raro obsoletis vel nullis. Stamina quinque in fundo floris adnata, a corolla et stylo libera, corollae laciniis alterna; filamenta distincta; antherae connatae vel liberae, basifixae, verticaliter positae, biloculares, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Pollen simplex vel globosum, globulis interdum cohaerentibus. Ovarium 2-(raro 1-4)loculare, ovulis indefinitis vel definitis, erectis. Stylus unicus vel rarissime duplex. Stigma carnosum, obtusum, indivisum vel bilobum indusio membranaceo, saepe duro, corneo, cyathiformi, integro vel bilobo, ore ciliato, rarius nudo cinctum, rarissime, et quidem in una

tantum stirpe nullum. Pericarpium nunc polyspermum, capsulare, septo (si adest) valvis parallelo, rarius contrario, nunc drupaceum vel nucamentaceum, in fundo seminiferum. Seminum testa saepe crassiuscula, quandoque nucamentacea, complanata, convexa, quadrata, albumine carnoso, crasso, semini conformi instructa. Embryo anatropus rectus, longitudine albuminis; cotyledones mediocres, saepe foliacei, plumula inconspicua.

Folia alterna, sparsa, rarissime opposita vel fasciculata, exstipulata, simplicia, integra, dentata, incisa, lobata. Bracteae et bracteolae. Pubescentia varia est. Inflorescentia axillaris et terminalis, solitaria, spicata, racemosa, paniculata, capitulata, glomerulata, umbellata, corymbosa; flores saepe in apice ramorum sunt densissime congesti, flavi, albi, coerulei, purpurascentes, scarlatini.

Ordo plantarum vix exquisite naturalis dicendus si habitum spectas, in quo saepe perquam a se invicem recedunt (*Diaspasis* v. c. et *Temminckia macrophylla*), sed propter floris, imprimis autem indusii stigmatis naturam, in qua character valde essentialis, naturalissimus.

Sunt species pleraeque Australasicae et Oceanicae. Nonnullae Indiam Orientalem, Javam, Zeylaniam, Madagascariam, Promontorio Bonae Spei vicinas terras, Africae littora occidentalia habitant. Una fortasse et altera, sed ne haec quidem certo spontanea exsistimanda, in Antillanis Insulis et America calidiore orientali obvia. Chilense regnum habet unam speciem Sellierae generis, structura et habitu ab omnibus Goodenovieis diversam. Sed de Geographica distributione et affinitatibus in singulis seorsum dicendum est.

Ordo primum anno 1810 ab Ill. Browneo propositus, medium tenere debet inter Lobeliaceas et Stylidieas locum.

A Goodenovieis Brunoniaceae differunt defectu albuminis, fructu utriculaeformi, inflorescentia capitata. Campanulaceae, ad quas olim a Jussieuvio referebantur, corollam habent regularem, stigmata haud indusiata, plura.

capsulam multilocularem, polyspermam, valvis (si adsunt) medio septiferis; sunt praeterea plantae lactescentes. Lobeliaceae itidem lactescentes, plurimos habent characteres huic ordini communes, cum in organis vegetationis, tum in floralibus. Differunt vero (praeter lactescentiam) antherarum natura, stigmate non indusiato, fructu. In Stylidieis magna etiam observatur cum hoc ordine analogia, quamvis gynandris.

Si hypothesis Brownei, de natura indusii, sit admittenda, illud comparantis cum columna staminifera in Stylidieis, tum quidem necessarum erit duplicem verticillum staminiferum pro uno in hacce familia agnoscere.

Caeterum exempla non desunt familiarum in quibus, si non plane simile, analogon tamen organon reperitur. Cf. Cel. Bennet, in Horsf. Pl. Jav. rar. p. 86, ubi simile organon in omnibus Ericeis adesse statuitur.

Ill. Rob. Brown proposuit genera 9 cum 81 speciebus. Cel. de Candolle (Prodr. VII. 502) in 10 generibus habet species 131. Nos in hacce enumeratione, in 23 generibus 187 enumeramus species, ideoque 82 plures quam Ill. Rob. Brown. Quod quidem generum auximus numerum, id necessarium fuisse nemo mirabitur, qui noverit, jam ordinis hujus Auctorem, ante 42 annos, Scaevolam in posterum in genera dividendam esse, censuisse. Praeterea totum hocce genus purgandum erat a speciebus, quas ad illud retulerant auctores, nulla instituta cum aliorum speciminibus comparatione.

Ad species quas descripsi singulas Musea et Herbarios publicos atque privatos, quorum specimina potui examinare, citavi. Saepius specimina authentica descripsi. Omnia autem auctoribus gratus reddidi. Grates meas hic loci oblatas accipere velint Illi Viri, qui haec qualiacunque conamina sustentare non sunt dedignati. Sunt hi Illustrissimi Viri Fenzelius, Hookerus uterque, Lindlejus, Browneus, Lessertius, Lehmannus, Jussieuvius, jam beatus, Decaisneus, Brongniartius, Lasegueus, Spachius, inter nostrates vero Reinwardtius; tum vero etiam Endlicherus et Splitgerberus, amici quondam integerrimi, qui jam eheu supremum obierunt diem! Species quas in Horti botanici Parisiensis Museo, eximia Professorum

1*

licuit indagare benevolentia, proprio signo (†) notavi. Genera nova et species nonnullas prae reliquis notandas figuris illustravit Ver Huellius.

Inspectis tot speciminibus authenticis nobis occasio fuit nonnullos errores antea commissos, dum nulla erat comparandi materia, corrigendi.

Goodenovieae, quod Australiam attinet et Oceanum Pacificum atque Archipelagum Indiae Orientalis, inventae sunt cum in tropicis, tum in temperatioribus regionibus. Terminum septentrionalem faciunt Insulae Sandvicences (24° lat. bor.), meridionalem vero Insula van Diemen et Nova Zeelandia (48° lat. austr.). Inter hos extremos terminos continentur omnes stationes Americanae, Africanae, Insularum Madagascariae, Zeylaniae, Javae, tum et Asiae terrae continentis. Maximus specierum numerus Novam Hollandiam inhabitat. Non pauca genera strictioribus etiam limitibus continentur. Alia in pluribus Orbis partibus dispersa sunt, imo unica species est, quae, nisi ad plures alias sit referenda, quod valde probabile, sane cosmopolitana dicenda foret.

Temminckia a nobis proposita, inhabitat Sandvicenses Insulas et Luzonem Philippinarum Insularum, dum in Nova Zeelandia hoc genus unica repraesentatur specie.

Camphusia in Oahu occurrit Insula Sandvicensi.

Scaevola est magis cosmopolitana. Crescit in Sandvicensi insula Oahu, in Asiae terra continente, in Nova Caledonia, Senegalia, Madagascaria, Promontorio Bonae Spei, et vel in America aequatoriali. *Scaevolae Lobeliae* quanta sit extensio, suo loco conmemorabimus. *Molkenboeria* est genus a nobis a Scaevolis disjunctum. Hoc exquisite pertinet ad Novae Hollandiae partem Austro-Occidentalem. *Merkusiae* tres species ad Novam Caledoniam, una ad Carpentariam, reliquae ad Novae Hollandiae partem Austro-Occidentalem pertinent. *Aillya* genus, floribus subumbellatis et graciliori habitu distinctissimum, eandem stationem fere habet, ad fluminis Cygnorum Coloniam. *Crossotomatis* tres species enumeratae sunt, quarum duae ad Occidentem, ad Septentrionem tertia reperitur. *Dampierae* species triginta quatuor crescunt in parte Austro-Occidentali,

in Austro-Orientali sex, in Nova Caledonia duae. Quod sic intelligendum, species nonnullas pluribus regionibus esse communes. *Linschotenia* in Nov. Hollandiae regionibus Austro-Orientalibus crescit. *Goodenia* Novam Hollandiam habitat, Tasmanniam, Flindersii Insulam, sed per prius indicatam magnam insulam latissime est dispersa (Ad Portum Jackson, Sydney, Sinum Regis Georgii, ad oras septentrionalem, orientalem, austro-occidentalem, in Nova-Çaledonia, in interiore parte Novae Hollandiae, immo ejusdem tropicae, etc.)

Picrophyta Müll. (Goodeniae sp. Schlecht.) a *Goodenia* recte disjuncta videtur; haec Novam Hollandiam inhabitat.

Selliera repens et *herpystica* in Australia, maxime in Nova Hollandia habitant. *S. radicans* vero in Chilensi regno ad Valparaiso et Conception, inter 30° et 40° latit. merid.! *Tetraphylax* ad flum. Cygnorum est repertus. *Stekhovia* maxime ad sinum Regis Georgii, *Euthales* ad flumen Cygnorum. *Velleia* crescit in variis stationibus Novae Hollandiae et in insula van Diemen. *Leschenaultiae* verae omnes repertae sunt ad dictum flumen. *Latouria* ad Carpentariam, *Diaspasis* ad Sin. Regis Georgii, *Calogyne* ad oram septentrionalem et occidentalem Novae Hollandiae. *Anthotium* ad flumen Cygnorum habitat, *Distylis* ad Sinum Canum Marinorum. *Lemairea*, genus quodammodo abnormale dicendum, ob stigma fere nudum, crescit in insula Amboina.

Genera admisimus XXIII et species 187, hac quidem ratione: I. Temminckia (8), II. Camphusia (1), III. Scaevola (12), IV. Crossotoma (3), V. Molkenboeria (7), VI. Merkusia (30), VII. Aillya (1), VIII, Dampiera (41), IX. Linschotenia (1), X. Goodenia (45), XI. Picrophyta (2), XII. Selliera (3), XIII. Tetraphylax (1), XIV. Stekhovia (2), XV. Euthales (3), XVI. Velleia (9), XVII. Diaspasis (1), XVIII. Distylis (1), XIX. Calogyne (1), XX. Leschenaultia (12), XXI. Latouria (1), XXII. Anthotium (1), XXIII. Lemairea (1).

De usu et viribus fere nihil constat.

CONSPECTUS GENERUM GOODENOVIEARUM.

SCAEVOLEAE.

Antherae liberae. Semina in loculis numero definita, saepius 1-2. Drupa aut nux calyci adhaerens, saepius calycis limbo coronata.

Arborescentes vel fruticosae.

Inflorescentia dichotoma, filamenta imberbia, nux lignosa, costata	I. Temminckia.
» solitaria	II. Camphusia.
» cymosa, drupa baccata	III. Scaevola.

Spinosae.

Calycis limbus obsoletus.	IV. Crossotoma.

Herbaceae vel suffruticosae.

Inflorescentia axillaris longe-bracteata	V. Molkenboeria.
» spicata et axillaris, ovario 2-,pseudo-4-loculari.	VI. Merkusia.
» subumbellata	VII. Aillya.
Calycis limbus abbreviatus vel obsoletus, pube stellata instructus; antherae arcte cohaerentes	VIII. Dampiera
Paracorollae cuculliformes	IX. Linschotenia.

GOODENIEAE.

Semina in loculis numero indefinita.

Antherae liberae, juniores tamen cohaerentes Semina imbricata, plurima, compressa	X. Goodenia.

Flores calcare instructi	XI. PICROPHYTA.
Corolla unilabiata; semina biserialia, subhorizontalia. . .	XII. SELLIERA.
Ovarium quadriloculare	XIII. TETRAPHYLAX.
Stigma bilobum, corollae labio contrarium	XIV. STEKHOVIA.
Calycis tubus cum basi ovario adnatus; capsula basi bilocularis	XV. EUTHALES.
Calyx 3-5-phyllus, inaequalis, glandula epigyna inter duo filamenta anteriora	XVI. VELLEIA.
Corolla subregularis, hypocrateriformis. Ovarium 1-loculare, dispermum	XVII. DIASPASIS.
Stylus bifidus	XVIII. DISTYLIS.
» trifidus	XIX. CALOGYNE.
Pollinis granula quaterna cohaerentia. Semina cubica. .	XX. LESCHENAULTIA.
» » » » » cylindrica	XXI. LATOURIA.
» simplicia. Antherae cohaerentes; indusium stigmatis corollae labiis contrarium	XXII. ANTHOTIUM.
Stigma vix indusiatum	XXIII. LEMAIREA.

SCAEVOLEAE.

Arborescentes vel fruticosae.

I. TEMMINCKIA.

Pedunculi dichotomi. *Calyx* superus, brevi-5-dentatus, accrescens. *Corolla* monopetala, tubo longitudinaliter fisso, interne glabro vel vix villoso; limbo laterali, 5-fido, lobis alatis, apice mucronatis, dorso glabris vel (in paucis) tomentosis. *Stamina* in fundo floris inserta, una cum corolla; *filamentis* imberbibus; *antheris* liberis, bilocularibus, filamento continuis, polline globoso. *Ovarium* biloculare, loculis uniovulatis; *stylo* saepe barbato; *stigmatis* obtusi, exserti indusio saepe ciliato. *Fructus*

est nux bilocularis, lignosa, costata, calyce coronata. *Semina* in singulo loco solitaria, erecta, embryone recto in albumine copioso, carnoso.

Sunt arbores vel frutices Insularum Sandvicensium, Novae Zeelandiae et orae Novae Hollandiae Occidentalis, foliis petiolatis, alternis, caducis, valde fragilibus, integerrimis, dentatis; axillis imberbibus, aut raro barbatis. Inflorescentia dichotoma est, bracteis oppositis, duabus vel pluribus, linearibus; pedunculi et pedicelli sunt elongati. Calycis limbus est 5-dentatus, vel subnullus. Corollae flavae tubus et faux sunt raro villosae, lobis alatis. Stamina, tubo hiante sunt flaccida, filamentis glaberrimis. Stylus est villosus. Fructus est nucamentaceus, durissimus.

A Scaevolis differunt Temminckiae: inflorescentia non cymosa, filamentis imberbibus, fructu non baccato sed nuce lignosa, cordata; a Camphusia iisdem fere characteribus, at imprimis inflorescentia.

Cfr. de Vriese, Anal. Gooden. p. 37.

Characteres generici proponuntur in tab. I. fig. 1—11.

1. T. CHAMISSONIANA.

Fruticosa, glabra, axillis obsolete-barbatis, foliis petiolatis, oblongis, obovato-oblongis, utrinque acuminatis, argute-denticulatis, ramisque glabris; pedunculis axillaribus, dichotomis, cum pedicellis folia aequantibus vel etiam ea superantibus; calycibus brevissime 5-denticulatis, ciliolatis; corollis interne subpubescentibus, aut glabris; stigmatis indusio ciliato; nuce coronata calyce persistente, biloculari, disperma; seminibus fuscis.

Scaevola Chamissoniana. *Gaud. in Frey. voy. bot.* 460. *t.* 81.
» » *Hook. et Arn. bot. Beech.* 89.
» » *de Cand. Prodr. VII.* 506.
Temminckia » *de Vriese, l. c. pag.* 39.

Ex Ill. Hookeri observatione corolla vix pubescit et brevior est quam in tab. Gaudichaudii. Pedunculorum et ipsorum foliorum longitudo variat a 0,03—0,10.

Hab. Insulas Sandvicenses.

Oahu. *Beechey.* 798. *Gaud. Voy. la Bonite. Oct.* 1836. (*Herb. Delessert*).

» *Mengin.* (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)

» *Macrae; Barclay; J. Dull: Meyer.* (*Herb. de Lessert.*)

» (*Herb. Lindleji.*)

Tab. I. fig. 1. *flos a latere visus.* 2. *Idem ablata corolla.* 3. *Stigma et stylus.* 4. *Pollen.* 5. *Anthera cum filamento.* 6. *Stigma longitudinis directione sectum.* 7. *Calyx cum ovario persistens.* 8. *Idem organon latitudine sectum ut monstrentur duo ovula.* 9. *Semen.* 10. *Embryo in albumine, apice pilosus.* 11. *Fructus.* (Gaud.)

2. T. CILIATA.

» Fruticosa, erecta, glabra, foliis submembranaceis, late-lanceolatis, utrinque acuminatis, acutis, antrorsum obsolete-pauci-serratis, lamina in petiolum angustata brevem, basi dilatatum, axilla subbarbata; inflorescentia axillari, pedunculata, folia adaequante vel superante, pluries (5-8) cymoso-dichotoma, altero dichotomiarum extimarum ramulo alternatim abortivo; bracteis linearibus; floribus sessilibus; dentibus calycinis brevibus ciliolatis; corolla externe glabra, tubo interiore villosiusculo, laciniis alatis; stylo villoso; drupa olivaeformi, monopyrena, disperma,"

T. ciliata *de Vriese, Anal. Good. p.* 40.

Scaevola ciliata *G. Don. gen. syst.* 3. *p.* 728.

» » *de Cand. prodr. VII*, 506.

» Gaudichaudiana *Cham. Linn.* 1833. *p.* 226.

Excl. syn. S. Gaudichaudi *Hook. et Arn. bot. Beech. p.* 89.

Habitat Oahu insularum Sandvicensium.

Speciem quam *Gandichandianam* dixit Chamisso, a *Chamissoniana* sic distinxit Cel. Auctor: »differt corollis externe glabris, minoribus, foliis obsoletis antice tantum serratis et subintegerrimis, cymisque magis evolutis, floribusque alaribus non deficientibus." l. c. Porro in T. ciliata rami et pedunculi graciliores sunt, germen minus est, tubus corollinus gracilior.

3. T. MENZIESIANA.

»Fruticosa, erecta, foliis obcvatis lanceolatisve obtusis, acutiusculisve, integerrimis vel antrorsum pauci-crenatis, serratisve, in petiolum acuminato- vel cuneato-longe-angustatis, axillâ barbatula, carnosulis, subtus pubescentibus vel glabris; inflorescentia axillari pedunculata foliis breviori, cymoso-pauci-(3)-flora, ut plurimum uniflora; bracteis linearibus, flore sessili; dentibus calycinis brevibus ciliolatis; corolla externe pilosula vel glabra, interne villosa, laciniis exalatis; stylo villoso, drupa olivaeformi monopyrena disperma."

T. Menziesiana *de Vriese Anal. Good. p.* 40.
Scaevola Menziesiana *Cham. in Linn.* 1833. *p.* 227.
» » *de Cand. prodr. VII.* 507.
Oahu, Sandvicensium insula.

Vidi specimen unicum in Herb. Mus. Caes. Vind. ex herb. Endl. Aliud spec. habet herb. Lindl. ex eadem statione, a Rae lectum.

Hujus speciei amplam descriptionem habet Chamisso l. c. Linn. 1833. p. 227. »Frutex ramosissimus, dense foliosus, foliorum figura, magnitudine et pube plurimum ludens; folia maxima cum petiolari subsemipollicari parte bipollicaria, latitudine 8-linearia, carnosula, immerse tenuiter venosa, margine angusto, pellucido, subreflexo, costa subtus prominula; pagina inferior molliter tenuiter dense pubescens, vel hic illic glabrescens; petiolaris pars nonnumquam pilosula. Pedunculi sunt semipollicares; cymae, cum evolutae sint, ramulo dimidio breviores. Bracteae lineares integerrimae, quinque lineas circiter longae. Germen intra bracteas sessile; den-

tes calycini minuti, canescente-barbatuli. Stamina glabra. Stylus corolla brevior. Drupa carnosa, bilocularis, loculis monospermis."

4. T. GAUDICHAUDI.

» Fruticosa, erecta, glabra; foliis spathulato-lanceolatis, acutis, integerrimis, axillis barbatis; pedunculis axillaribus folio multum brevioribus, unifloris (flosculo plerumque abortivo uno), corolla glabra, drupis ovalibus, urceolo 5-dentato coronatis, bilocularibus, dispermis, bracteolis linearibus."

T. Gaudichaudi *de Vriese Anal. Good. p.* 40.
Scaevola » *Hook. et Arn. in Beechey's Voy. l. c.*
» montana *Gaud. in Freyc. Voy. p.* 460.
Ins. Sandvicensium Oahu.
Vidi spec. Beecheyanum in Herb. Hook.

Sunt foliola 0,03 longa, et 0,005 lata, versus ramorum apices congesta. Floris longitudo est 0,02; calycis laciniae lineares, fere 0,005 latae.

5. T. MICRANTHA.

» Fruticosa, ramis superne tomentosis, tomento caduco; foliis petiolatis, congestis, alternis, ovato-oblongis, apice subrotundatis, eoque uti et margine revolutis, integerrimis, limbo juxta petiolum decurrente attenuatis, nervo medio pubescente; pedunculo axillari, folia vix aequante, dichotomo; pedicellis in axilla barbatis; calycibus subpubescentibus, brevissime subdentatis. (»Corollae laciniis late marginatis, basi fimbriatis. *Presl.*)"

T. micrantha *de Vriese. Anal. Good. p.* 41.
Scaevola » *Presl. rel. Haenk.* 2. *p.* 58. *de Cand. Prodr. VII.* 507.

Vidi Haenkei spec. in Herb. Mus. Caes. Vindob. cui adscriptum est: Luzon. n°. 124, quod non omnino completum esse dolui. Folia vix dicenda sunt lanceolata; sunt 0,06 longa, 0,02 lata. Opposita folia quo dicantur jure, nequaquam video. Candolleo stylus dicitur glaber, drupa (nux) elliptica, pubescens, 10-costata.

Affinitas cum *S. Plumierii*, me judice, nulla.

6. T. MACROPHYLLA.

» Fruticosa, glabra, axillis imberbibus; foliis petiolatis, alternis, oblongo-ovatis, integerrimis, oblique-subacuminatis, uninerviis, subcoriaceis; pedunculis oppositifoliis, angulatis, dichotomis; bracteis oppositis ellipticis; pedicellis bifloris, bibracteolatis, fructiferis reflexis; nuce bilocu-lari, costata; seminibus albumine copioso, carnoso, fusco praeditis."

T. macrophylla *de Vriese. Anal. Gooden. p.* 42.

Habitat Novam Zeelandiam. *Vidi spec. Hugelii in Herb. Mus. Caes. Vindob.*

Inter congeneras species maxima; ramis teretibus, fuscis, cicatricibus lapsorum foliorum rhomboideis tectis; folio cum petiolis fere 0,16 aequante, et 0,06 lato, basi angustiore, nervo medio crasso, atque in dorso prominente instructa, utrinque glabro; petiolo crasso, fere 0,02 longo; pedunculi 0,03-0,04 longi, angulati; bracteae fere 0,02 longae et 0,006 latae; pedicelli fructiferi horizontales vel declinati; fructus duo connati; nuces ovato-globosae, biloculares; pericarpio lignoso, durissimo, subalato, costato. Flores non vidi; ex fructu et habitu tamen hanc stirpem ad novum genus pertinere suspicor. Caeterum planta, imprimis propter magnitudinem foliorum, distinctissima.

Tab. I, ramus T. macrophyllae.

7. T. MOLLIS.

» Fruticosa, erecta, acute sericeo-tomentosa, foliis petiolatis, oblongo-lanceolatis, superne glabris vel ad lentem minutissime tomentosis (tomento tamen plerumque caduco): margine glanduloso-denticulatis; axillis sericeo-barbatis; pedunculis axillaribus, petiolo brevioribus, dichoto-

mis; bracteis linearibus, oppositis, apice recurvis; pedicellis flexuosis, rarifloris, plerisque 4-5 bracteolarum oppositarum leneariumque paribus instructis; calycis dentibus brevissimis, obtusis, fere obsoletis; corolla in dorso sericea, tubo longissimo; laciniis longe-acuminatis, cuspidatisve; stamina sunt contorta; filamenta glabra; stylus basi sericeo-tomentosus; stigmatis indusium margine ciliatum."

T. mollis *de Vriese. Anal. Gooden. p.* 43.
Scaevola » *Hook. et Arn. Beech.* 89.
» » *de Cand. Prodr. VII.* 506.

Spec. Beecheyanum ex insula Oahu, vidi in Herb. Hook. et Del.

Folia sunt 0,10—0,15 longa, 0,03 lata, admodum caduca et fragilia. Planta caeterum facillime propter tomentum sericeum dignoscitur.

Vix affinis *Scaevolae sericeae* Forst. videtur.

Tab. II. fig. 1, ramus. 2. flos magnitudine auctus.

8. T. TOMENTOSA. (†)

» Fruticosa, erecta, fuscescenti-tomentosa, pube stellulata; foliis mollibus, subrhombeo-ovatis, obtusis, sinuato-dentatis; floribus axillaribus, solitariis, pedunculatis; calyce abbreviato, quinque-dentato; corolla pubescente; bracteolis unilateralibus, semi-connatis, integerrimis; fructu dispermo."

T. tomentosa *de Vriese. Anal. Gooden. p.* 44.
Scaevola » *Gaudich. in Frey. Voy. p.* 460—1. *t.* 81.
» » *de Cand. Prodr. VII.* 506.

Hab. Novae Holl. oram occidentalem, ad sinum Canum marinorum.

Spec. auctoris vidi in Mus. Parisiensi. Novi praeterea e descriptione et eximia tabula Gaud. in Frey. voy. l. c.

An Temminckiis adnumerandae sqq. sp?

Scaevola Plumerioides Nutt. Ins. Sandvicenses.
» *ligustrifolia* Nutt. » »
» *pubescens* Nutt. » »

Cfr. *Nuttal. description of new plants, collected during a visit to the Sandwich Islands and Upper California.* 1841. (Trans. of the American Phil Society. VIII. New Series. III. Philad. 1843. p. 251).

Affirmare non audeo, quamquam ex indicata affinitate suspicarer.

II. CAMPHUSIA.

Flores solitarii. *Calycis* superi limbus 5-partitus. *Corolla* monopetala, tubo curvato, clauso, amplo, tota glabra, limbo trifido, lobo medio angustiore, integro, acuto, lateralibus latioribus, bifidis, laciniis acutis. *Stamina* in fundo floris una cum corolla inserta; *filamentis* imberbibus; *antheris* liberis, bilocularibus, loculis linearibus, filamento continuis; *connectivo* lato, exserto; *polline* aculeotato. *Ovarium* biloculare, *loculis* uni-ovulatis, *stylo* complanato, glabro, flexuoso; *stigmatis* magni, globosi indusio ciliato. *Ovario* biloculari, calyce coronato; *ovulis* duobus, erectis, anatropis. *Fructum* nec *semina* vidi.

Arbor insulae Oahu, foliis coriaceis, petiolatis, congestis, glabris, caducis, integerrimis, axillis imberbibus. Differt a Scaevola et a genere praecedente: inflorescentia solitaria, pedunculo ebracteato; flore magno flavo, connectivo, polline appendiculato.

Johannes Camphuis, cui novum genus dico, Harlemi natus, fuit ab anno 1684—91 Indiae Batavae Summus Praefec-

tus. Hic Rumphii opus manuscriptum cui titulus »Herbarium Amboinense" in Europam transmitti curavit; sed antequam navis vela daret, transcribi jussit. Navis in praelio interiit. Sic Camphusii provida cura, magno disciplinae botanicae commodo, opus Rumphianum, cui Ille quadraginta annorum studia, magnosque tribuerat sumtus, servatum est. Camphusius ipse, narrante Valentinio, »rei herbariae fuit studiosus, naturae amantissimus, animo, ingenio,moribus insignis."

Est *Scaevola* Hook. et Arnott. (The botany of Capt. Beechey's Voy. Lond. 1841. p. 89.)

1. C. GLABRA.

Fruticosa (vel arborea?) erecta, glabra; foliis cuneato-obovatis, oblique-acuminatis, longe petiolatis, obscure et remote glanduloso-denticulatis; axillis barbatis, pedunculis axillaribus unifloris petiolo dimidio brevioribus, nudis; corolla magna, glabra, calycis dentibus tubum fere aequantibus.

C. glabra *de Vriese, in Anal. Good. p.* 44.
Scaevola glabra. *Hook et Arn. l. c.*
» » *de Cand. Prodr. VII.* 507.
» » *Gaud. Voy. de la Bonite pl.* 48.

Vidi spec. Beechey in Herb. Hook. Aliud observavi a Gaudichaud lectum, in coll. Delessert, omnia sine fructu; Hookeri spec. etiam sine flore deprehendi.

Est species admodum affinis T. (Scaevolae) Chamissonianae, sed foliis et flore diversa. Flos fere 0,04 longus est. Petioli sunt 0,025 longi et limbi 0,035 lati, at 0,07 longi. Folia sunt utraque in facie glaberrima, nervo medio crasso percursa, in petiolum quodam-modo decursiva.

III. SCAEVOLA L.

Cymae axillares. *Calyx* superus, 5-fidus, limbi laciniis 5-partitis vel subnullis, aequalibus. *Corolla* monopetala, tubo longitudinaliter fisso, interne villoso, limbo laterali, 5-fido, lobis alatis. *Stamina* basi corollae adnata; filamentis barbatis; antheris liberis bilocularibus, loculis connectivo distinctis; *polline* globoso. *Pistillum* ovario instructum biloculari; loculis uni-ovulatis; stylo simplici, stigmatis obtusi indusio ciliato. *Fructus* est drupa baccata, calyce coronata, bilocularis, indehiscens. *Semina* in singulo loculo solitaria, erecta; *embryone* recto in albumine tenui, carnoso; cotyledonibus carnosis, radicula infera, brevissima.

Arbores vel frutices littorum maritimorum veteris orbis, nec non Americae et huic adjacentium insularum incolae; ligno molli, larga medulla instructo; foliis alternis, sessilibus, vel petiolatis, integerrimis, vel subrepandis, membranaceis, carnosis, glabris, tomentosis, sericeis; axillis barbatis; inflorescentia cymosa, axillaris, 2-3 chotoma; bracteis linearibus vel sublanceolatis, alternis, suboppositis; corollis caducis, flavis, vel chloroleucis; corollae tubo villoso, vel ramentaceo-floccoso, lobisque alatis; staminibus hiante tubo corollae flaccidis; fructu drupaceo, sarcocarpio carnoso, baccato, calyce coronato.

Scaevola L. gen. n°. 224. *Juss. gen.* 165. *Br. prodr.* 582. *de Cand. prodr. VII.* 505. *sect. I. sp.* 1—7. 12—14. — *G. Don Syst. gen.* 3. 727. *Endl. gen. pl.* 3038. *de Vriese Anal. Gooden. in ned. kruidk. Arch. II. p.* 19. *Lobelia* Plum.

Genus Scaevola jam a Rob. Browneo, Viro Illustrissimo, in plures phalanges divisum est. Post eum cl. G. Don sex proposuit sectiones, ad

quas auctores retulerunt species, quae huc minime poterant referri, propter structurae habitusque differentias. Divisiones illas in Prodromo admisit Candolleus. Docuit tamen repetita investigatio genus Scaevolam, quale recentiores proposuerunt, non posse servari, sed novis generibus constituendis merito ansam dare debere novissima peregrinatorum inventa.

Illustr. Browneus quidem animadvertit species quae sunt ovario uniloculari instructae, eas a reliquis haud esse separandas, et quae monospermae sunt, eas dispermis in serie naturali haud proximas esse; baccatas tandem ab exsuccis non esse sejungendas. Quod tamen praeceptum non omnino licuit sectari.

Prima sectio Brownei, nimirum quae notata est » pedunculis axillaribus, dichotomis, dichotomiis floriferis, raro unifloris, foliis alternis, axillis barbatis, drupa baccata, biloculari", me judice, constituere potest genus Linnaeanum Scaevolam, quale justis limitibus nunc videtur esse circumscribendum.

Synonymia specierum cum antiquitus, tum vero a recentioribus propositarum, nonnullarum certe, est admodum difficilis. Hoc valet maxime de *S. Lobelia* Plum. Jacq. et imprimis etiam de *S. Koenigii* Vahl., *S. Taccada* Roxb. et *S. Plumierii* Vahl. Accedit, quod auctores harum distinctiones saepe characteribus incertis atque vix admittendis, quippe admodum mutabilibus, superstruxerunt. Denique nonnullae species latissime per Orbem terrarum sunt dispersae et in remotissimis saepe regionibus obviae, quae a botanicis pro diversis speciebus habitae sunt.

Tandem historia literaria hujus argumenti in diversis operibus Linnaeanis, mantissis, etc. latet; ita ut integra quidem opus foret bibliotheca ad synonymiam extricandam, qua denique exposita (at deficientibus ipsis auctorum speciminibus) nihil tandem proficisceremur.

Lobelia et Scaevola primum non fuerunt distinctae. Scaevola primum fuit proposita in Linnaei Mantissa generum plantarum, ed. VI. p. 145 et Sp. pl. ed. II. Holmiae 1767, p. 1317. Quae ibi loci (gen.) referuntur sic se habent:

1294. Scaevola † Lobelia *Plum. Jacq.*

Cal. perianthium superum, brevissimum, quinquefidum, persistens.

Cor. monopetala, inaequalis: *tubus* longus, fissura longitudinali; *limbus* quinquefidus, adscendens, laciniis secundis, lanceolatis, margine membranaceis.

Stam. filamenta quinque, brevia, capillaria, receptaculo inserta. Antherae distinctae, erectae, oblongae, obtusae.

Pist. germen inferum, ovatum; stylus filiformis, superne crassior, staminibus longior, e fissura egressus, versus limbum incurvatus. Stigma applanatum, obtusum, ore aperto.

Peric. drupa subrotunda, puncto umbilicata, unilocularis.

Sem. nux ovata, rugosa, acuta, bilocularis.

Differt a Lobeliis: fructu, lactis absentia, reliquis, teste Jacquinio.

Quamvis haec diagnosis non omnibus numeris absoluta sit, neque etiam omnino sibi constet, tamen indubium est auctorem voluisse Goodenovieam et quidem Scaevolam. Quaeritur vero, quamnam? Jacquinius Scaevolae Lobeliae adposuit, tamquam auctoris nomen, illud Plumierii. Voluit igitur, ex nostra opinione, plantam Americanam, quae est Plumieriana. De qua haec leguntur in Pl. Americ. ad tab. CLXV. p. 157.

»Lobelia frutescens; portulacae folio. *Plum. nov. gen. pl. p.* 21. *Catesb. Carol. I. p.* 79.

»Lobelia frutescens, foliis ovali-oblongis, integerrimis. *Linn. fl. Zeyl. p.* 148. *Sp. pl. p.* 929.

»β. Buglossum littoreum. *Rumph. Herb. Amb. libr.* 6. *cap.* 59. *tab.* 54.

(Sequitur descriptio, ex qua de specie nil effici potest.)

Observatio auctoris haec est: Haec planta in plurimis optime convenit cum »planta Asiatica, quae a Rumphio describitur, quamque comparat cum *Bela-Mo-* »*dagam* Horti Malabarici t. 4. t. 59, ita ut harum varietates diverso coelo ac »solo magis sint adscribendae, quam quod diversae sint species."

In his, aut magna confusio est, aut synonymiae simplicioris ansa. Animadvertas quaeso, Lector benevole, jam illum auctorem cepisse, quam magna sit analogia inter speciem Asiaticam, Indicam et Americanam.

Ex icone Plumierii laudata id unum efficio, illum ob oculos habuisse Scaevolam; qualem vero voluerit speciem, hoc non constat, nec e descriptione, neque e tabula.

Secundum leges hodiernae nomenclaturae nomen speciei, quae typum sistit novi generis a Lobelia separati, foret *Scaevola Lobelia.* Quod nomen jam adest in mss. Linneanis, teste ejusdem Herbario in Museo Banksiano. Hinc mirum videtur botanicos illud nomen pro typica specie non servavisse, sed contra illud tamquam synonymon citavisse ad alias, temporum cursu propositas species. Illustr. Robertus Browneus illud synonymon affert ad S. Koenigii (prodr. 582) his additis: »S. Lobelia Herb. Linn. (auctoritate Herb. Banksiani)."

His citatis ergo constat:

Speciem et nomenclaturam Linnaeanam spectare formam Asiaticam.

Restat nobis examinare an jure *S. Koenigii* Vahl., *S. Taccada* Roxb. *S. Bela-Modagam* Roem. et Schult. tamquam species sint admittendae; tandem, quid sit *S. Plumierii.*

Ex magno numero speciminum inter se comparatorum, vix quidem jure merito efficere possim *S. Taccadam* Roxb. specifice differre a *S. Koenigii* Vahl. Quod attinet ad *S. Plumierii*, de ea tum demum certo posset constare, si omnium notarum ex habitu aliisque signis collectarum rationem possemus habere. Sed, quandoquidem nec e descriptione, neque e tabulis, nedum e speciminibus sufficienter constet differentia, nihil est quo impediamur admittere specificam differentiam hic non adesse. Praeterea sunt plura exempla plantarum quae in Asia, Africa et America simul obviae sunt et quae vel in dissitissimis Orbis terrarum regionibus crescunt, de quibus tamen non constat eas obferre specificas differentias; multo minus eas humana opera ex una in alteram magnam terrae partem esse translatas. His igitur argumentis fulti admittimus species indicatas tuto sub uno nomine specifico et tamquam unam speciem in systemate botanico commemorari, et in quantum differunt, ut varietates debere admitti. In quo, si forsan erro, meum huncce errorem

emendent velim in posterum alii botanici, si ex speciminibus me certiores facti, aliam opinionem admittendam esse censebunt. Generis characteres vide in Tab. nostra III.

α. Foliis membranaceis.

1. S. LOBELIA. (†)

Fruticosa, ramosa, axillis longissime lanatis; foliis sessilibus alternis, obovatis, apice integris vel levissime repandulis, membranaceis, glabris; pedunculis axillaribus, di-trichotomisve; bracteis acutis, oppositis et alternis subalternisve; calycis limbo quinquefido, brevi vel longiore, ovarii et drupae baccatae longitudinem subaequante; corollae tubo intus piloso, ramentaceo; indusio ciliato.

S. Lobelia *Linn. Mant. et Herb. teste Browneo l. c.* 583.
» Koenigii *Vahl. symb.* 3. 36.
» » *Willd. sp. pl. I*, 956. 3.
» » *Lamarck ill. t.* 124. *fig.* 2.
» » *Roem. Sch. V.* 160.
» » *Brown. prodr. l. c.*
» » *Bl. bijdr. Ned. Ind.* 730.
» » *Hook. bot. mag. t.* 2732.
» Leschaultiana *de Cand. prodr. VII.* 505. 506.
Cerbera salutaris *Lour. cochin. ed. Willd. p.* 168?

Stirps eximie maritima dicenda, quippe praecipue littorum maritimorum et insularum propria forma. In collectionibus magnum vidi speciminum numerum, quibus adscripta vidi, quae infra commemorantur habitandi loca.

1°. *Peninsula Indiae Orientalis.* Wight. Herb. propr. n°. 2421, adscripto epitheto »sub-imberbis." (Herb. Delessert.)

2°. *Java.* (Specimina Herb. Lugd. Bat. Regii. n°. 1681). Spec. Lesch. in Mus. Paris. a Candolleo ad propriam speciem relatum, est *S. Lobelia.*

3°. *Amboina* (Herb. Vent.).

4°. *Timor* (Herb. Delessert).

5°. *Insulae Seychellae* Pervillé 1841. n°. 24 (Herb. Delessert). Huc quoque trahi oportet spec. ex ins. Rawak a cel. Gaudichaud lectum, quod vidi in Mus. Paris.

6°. *Insulae Amicae.* Barclay (Herb. Hook.).

7°. *Novae Holl. littora tropica* (teste Browneo l. c.). Ibid. prope Port. Jacks. Ferd. Bauer (Herb. Mus. Caes. Vindob.).

8°. *Cochinchina*, Gaudich. Voy. la Bonite 1838. (Herb. Delessert.) Teste etiam Lour?

9°. *Mauritius.* Sieb. Fl. Maur. cujus specim. in plerisque Herb. adsunt, omnia sibi satis similia.

10°. *Ins. Bourbon.* Spec. Richard. »Dans les sables près de la mer." Spec. de Bourney, aliud Syansin. Utrumque in Herb. Mus. Par.

Horti Europae multi stirpem colunt. In horto Kewensi florentem vidit cl. Aiton, anno 1826.

Frutex est mediocris, succulentus; *caule* crasso, medulla copiosa nivea farcto, terete, ramoso, cicatricibus lapsorum foliorum et vestigiis fasciculorum vasorum instructo; *folia* alterna, internodiis plerumque valde remotis, utrinque glaberrima, laevia, nervo medio crasso, apice et marginis parte, huic proxima quae est, subrepandula, deorsum attenuata et juxta nervum decurrentia; substantia foliorum saepe est pellucido-punctata, ramulis venularum extremis bi-trifidis; longitudo foliorum variat inter 10—24 cent., latitudo in maxima diametro est 8-10 cent.; lana axillarum plerumque longa est, parallela, sericea, alba; *inflorescentia* est cymosa; cymae sunt dichotomae, trichotomaeve; pedunculi et pedicelli sunt glabri, sed in axillis albo-lanati; bracteae sunt suboppositae et alternae, lanceolatae, acuminataeque; *calyx* ovario adnatus, limbi laciniis ovatis, acutis; corollae magnae, 2 cent. saepe longae tubus hinc fissus, interne pilosus, ramentis numerosis, densis obsessus, flavus; limbus est unilateralis et habet segmenta quinque lato-obovata, quorum singulum instructum est nervis tribus, medio crassiore duobusque intra-marginalibus, apice in angulum acutum coëuntibus; extra hos

est substantia tenuior, membranacea, alata, expansa, longe ciliata; sunt *stamina* quinque basi corollae inserta, tubi ejusdem longitudinem aequantia; filamenta sunt flexuosa, varia ratione inter se contorta, in antheram longam, bilocularem terminata, quae anthera connectivo intermedio ultra loculos longitudinaliter et ad latera dehiscentes parum producto, instructa est. *Pollen* est globosum, fuscum. *Ovarium* est biloculare; *stylus* exsertus est, basi curvatus, sublanatus, medio glaber, sursum iterum lanatus, apice vero crassior iterumque incurvus; *indusium* stigmatis hemisphaericum, fuscum, externe pilosum, margine ciliatum, pilis rectis, longis, densis, albis, pluriserialibus, interne glabrum aut subpilosum; *stigma* obtusum, subexsertum, aut indusii cavitate absconditum, cum indusio ipso sanguineum (Hook. B. M. n°. 2732); *bacca* drupam continet bilocularem, loborum calycis reliquiis coloratam, e desiccatione fungosa est et subcostata; drupa durissima, fere lapidea, externe glabra, vel striatula, loculis duobus, inaequalibus, dissepimento ligneo distinctis.

S. Taccada Roxb. (Fl. ind. II. 46. Wight Illustr. II, t. 137) ab auctoribus cum Ill. Roxburghio tamquam species propria admissa est, attamen levioribus tantum notis, iisque non semper certis nec invariabilibus a S. Lobelia Linn. Herb. distinguenda. Quod v. c. constat e diagnosi Candolleana (VII. 505) utriusque sic dictae speciei. Nam habet:

S. Koenigii folia *subrepanda* et calycis limbum ovarii longitudinem *aequantem*,
S. Taccada » *integerrima* » » » » » *subaequantem*.

Jam inspecto ipso specimine Herbarii Societatis Ind. Angl. Orient. et verosimiliter etiam ipso specimine Roxburghiano, tum vero etiam collatis multis aliis plantis siccatis Herbariorum, quae nimirum ad. *S. Taccadam* referuntur, constat folia non esse integerrima sed subrepandula, imprimis quod apicem attinet, et praeterea calycem in aliis ovario esse *breviorem*, in aliis *longiorem* ovario; ita ut ne hic quidem character constans sit.

S. Taccada igitur, sive ut species sit admittenda, quod dubito,

sive ut varietas, quod probabile videtur, sic forsan distingui possit:

» Fruticosa, axillis longissime lanatis, aut sericeo-lanatis; foliis alternis, membranaceis, obovatis, obovato-spathulatis, apice subrepandulis, rarissime subintegerrimis; pedicellis pilosis aut glabris, 2-3-chotomis; bracteis oppositis et alternis; calycis limbo 5-fido, lobis oblongis obovatis lanceolatisve, acutis aut rotundatis, ovarii et drupae baccatae longitudinem aequantibus aut superantibus."

Folia nonnumquam sunt prasina; lana axillarum est caduca.

De hac specie, sic dicta, doctissime disputavit Dr. Francis Hamilton (Trans. Linn. Soc. XVII. 248) in Commentario ad Hortum Malabaricum, qua tamen commentatione confusio aucta est. Hic proposuit hancce synonymiam:

Taccada frutex Zeylonensium. *Pluk. Am.*

Arbor exitiosa, marina, lactescens, Indica vocata, fructu cerasi magnitudine, incarnato, striato. *Burm. thes. Zeyl.* 29.

Buglossum litoreum. *Herb. Amb. IV.* 116. *t.* 54.

Lobelia frutescens, foliis ovali-oblongis, integerrimis. *Linn. fl. Zeyl.* 313.

» Plumieri *Burm. fl. ind.* 186.

» Taccada *Gaertn. fil. Sem. I.* 119. *t.* 25. *f.* 5.

Scaevola » *Hort. Beng.* 13.

His forent addenda sqq.

» » *Roxb. fl. ind. II.* 146.

» Plumieri *Bl. bijdr.?*

» Taccada *de Cand. prodr. VII.* 505.

De *S. Bela-Modagam* (†) Horti Malabarici itidem doctissime disputavit Fr. Hamilton l. c. Huic vero, tamquam speciei, non magis faveo quam S. Taccadae.

S. Bela-Modagam (Hort. Mal. IV. p. 121) primum species declarata est juxta tab. 59. fig. 2 dicti operis, a Viro Cel. Aubert du Petit Thouars (Enc. meth. suppl. I. 608). Hunc secuti sunt Roemer et Schultes (syst. veg. V. 163). Quod vero, quo factum sit jure, constat ex

Rheediana descriptione cum ea S. Koenigii Auct. comparata. Utraque, ex nostra sententia, ad *S. Lobeliam* pertinet. Descriptio Horti Malabarici sic audit:

» Arbor quae Malabarensibus *Bella-Modagam*, Brachmanis *Tacorotha*, Lusitanis *Ammaco Macho*, Belgis *groot herts-tongh* nuncupatur, speciosa est atque praecelsa plurimum; caudice crasso, albicante obducto, ramulisque viridibus, fungosa intus medulla refertis, plurimis donato. Radix albicans, flavescente cortice tecta, saporis acris, odoris sylvestris." (Folia non sunt descripta.) » Flores suaveolentes, insipidi, plures simul juncti extremis ramulis proveniunt, calycique viridi in 5 lacinias acuminatas secto inhaerent; constant ii ex unico folio oblongo-rotundo, bifido et aliquando superne albo-striato et lanuginoso, inferne viridi-albicante, quinque tenuibus staminulis medium occupantibus, inter quae stylus prodit candidus, oblongus, capitulo rotundo. Fructus subrotundi, virides, glabri, uvis crispis haud absimiles, at quinque angulis sulcati et calyce florum surrecto in vertice coronati, tenui pellicula cincti, carneque viridi et adstringente intus referti, intra quam ossiculum locatur candidum, nucleum includens albicantem. Crescit in locis arenosis et montosis in Mangatti; semper viret et floret ac fructus fert, diuque frugifera manet."

Excepto uno » trunci praecelsi" charactere et statione arenosa monticula, nihil est quod impediat, quominus Rheedianam speciem ad *S. Lobeliam* referamus. Si porro attenditur ad mutationes, quas pati possit planta maritima, ubi loca inhabitat arenosa et montana, haec nostra opinio magis etiam probabilis fit. Porro, icones antiquiores novis proponendis speciebus, universe inservire non possunt.

Quae, si recte sic a nobis intelliguntur, de synonymo Rumphiano herb. Amb. IV. t. 54, nempe *Buglosso litoreo* Rumph., nullum remanere potest dubium. Hoc nimirum ad *S. Lobeliam* Auct. est referendum.

Scaevolam Plumierii Vahl. ad eandem *S. Lobeliam*, esse trahendam, infra demonstrare conabimur.

Specimina vel ab auctoribus laudata, vel a me visa, haec habitandi loca adscripta habent.

1°. *Peninsula Indiae Orientalis.* Spec. Soc. Angl. Ind. Or. (Herb. Hook. 1314. S. Taccada Roxb. *a*) ex Penang. *b*) ex Hort. Bot. Calc. — Sc. Koenigii. E. I. C. in quo spec. sunt folia obovata et obovato-spathulata, approximata, 10 cent. longa et 4½ cent. lata, lana axillarum nulla sive caduca, calycis segmentis ovarium vix superantibus, lanceolatis rotundatisque.

2°. » » » Spec. Wight. herb. propr. n°. 2412 (Herb. Hook.) Distinguitur: foliis latioribus, aliis repandis, aliis integerrimis, calycis laciniis fructum baccatum superantibus, fere 1 cent. longis, oblongis, apice rotundatis, excepto specimine inferiore, in quo flos est pallidus, e viridi flavescens et calyx pilosiusculus.

3°. » » » Spec. Will. Griffith (Herb. Hook.) cui adscriptum est: 409. Scaevola. 1834. in the Burmese Empire; ejusdem sub num. 486, cui adscripta sunt: Scaevola coriacea. Nutt. phil. tr. Phil.

4°. *Ins. Galega.* Spec. Aus. Deluc. 1839 (Herb. Delessert).

5°. » *Java.* Spanoghe (Herb. Hook.). Adscriptum est: »Lobelia nummularia", cicatricibus latioribus, foliis 16 cent. longis, 7 cent. latis, basi valde attenuatis.

6°. » » Herb. Reg. Lugd.-Bat. Spec. 1679.

Scaevola Plumierii innititur auctoritati Cel. Vahlii, quem tamen minus perfecte illam novisse, multo minus distinxisse, vel ex eo constare potest, quod paucis his verbis: »foliis obovatis, glabris, integerrimis" eam indicaverit (Symb. 2. 36). Haec autem ad verbum referunt quae Linnaeus scripsit in Sp. plant., qui addidit eam in Indiis, id est, in utraque India, habitare. Citavit Plumierium, qui ipse ad suam Lobeliam, quam frutescentem dicit et quae est planta Americana, tamquam synonymon laudat plantam Indiae Orientalis, nempe Buglossum

littoreum Rumphii (Herb. Amb. VI. t. 54. p. 59). Plumierius tandem ipse stirpem, quam indicat, potius varietatem habet ex diverso coelo et solo repetendam, quam speciem a reliquis vere diversam.

Denique differentias specificas ab auctoribus indicatas si spectemus, eas certe non graviores esse animadvertemus. Nam calyx, qui in S. Plumierii debet esse cupulatus, truncatus, subintegerrimus, maxime in hisce stirpibus variat, ita ut modo brevissimus, modo elongatus deprehendatur. In speciminibus Herbariorum ad *S. Plumierii* relatorum video, illas notas e calyce petitas saepe abesse; in iis contra, quae *S. Koenigii* nomine feruntur, saepe vidi calycem breviorem.

Inter plurimas plantas utriusque sic dictae speciei auctorum, quas mihi licuit comparare, cum in habitu, tum vero in partium structura, exceptis diversitatibus levioribus, tantam observavi convenientiam, ut nullus dubitem unam tantummodo admittere speciem, antiquam illam *S. Lobeliam L.* Haec vere cosmopolitana est dicenda, nam in plurimis terris tropicis utriusque Orbis crescit.

S. Plumierii sic dictae, quae vidi specimina, haec adscripta ferunt:

1°. Insula Madagascar. Specim. Goudot, Vent. (Herb. Delessert.) Spec. Bojer. (Herb. Mus. Caes. Vind.)
2°. » Zeylanica. (Herb. Burm. Del.)
3°. Carolinia. Spec. Pottenschlager. (Herb. Mus. Caes. Vindob.)
4°. Ins. Mauritiana. Sieb. (ib.)

Obvia porro in littore Insularum Bahamensium (Cat.), in Porto-Ricco (Ledru), Hispaniola (Bert.), cet.

2. S. MACROCALYX.

Axillis subbarbatis, foliis alternis, petiolatis, late-obovatis, verruculosis, subrepandulis, apice retusis, ibique repandulo-subcrenatis; cymis glabris, trifidis; bracteis oppositis, petiolatis, magnis, ellipticis, integer-

rimis, brevi-acuminatis; pedunculo pedicellisque sulcato-5 alatis, pilosis; floribus bracteolatis, bracteolis alternis, linearibus, in axilla barbatis; calycis laciniis maximis, obovato-oblongis; corollae tubo in dorso pilosiusculo, interne lanato; filamentis contortis, glabris; stigmatis indusio maximo, hispido.

S. macrocalyx *de Vriese, in Anal. Gooden. in Nederl. kruidk. Arch. II. p.* 34.

Asia. Decan. Spec. Hügel. (Herb. Mus. Caes. Vindob.)

Species, imprimis propter calycem, est distinctissima. Folia sunt 20—24 cent. longa et in maxima diametro sunt 9½ cent. lata; petiolus crassus est et basi latiore est instructus, juxta quam limbus foliaris decurrit; nervus medius latus, crassus, nervi laterales tenuiores, flexuosi, extremarum venularum apices in tumores glandulosos, in utraque folii pagina conspicuos excurrunt; bracteae superne glabrae sunt, flavescunt, venis fusco-badiis sunt instructae, in dorso hic illic glandulosae, 2 cent. longae, ¾ partes cent. latae, subacuminatae; calycis limbi laciniae 1½ cent. longae, ½ cent. latae, aliae subacutae, aliae apice latiore rotundatae, venae extremae clavatae, inflexae, vario modo tumidae.

Tab. III. Fig. 1. folium; 2. flos a facie visus magnitudine acutus; 3, 4. id. magnitudine naturali.

3. S. CHLORANTHA.

Fruticosa, axillis aut non, aut brevi-lanatis; foliis sessilibus, alternis, spathulatis, integerrimis vel repandis, membranaceis, pellucidis, glabris; pedunculis elongatis, pedicellisque glabris; bracteis bracteolisque acutis, oppositis; calycis segmentis ovarium aequantibus vel eo brevioribus; corollae viridis lobis elongatis, alatis, tubo intus piloso; stylo crasso piloso; indusio stigmatis ciliato; ovario biloculari.

S. chlorantha *de Vriese in Anal. Gooden. in Nederl. Kruidk. Arch. II. p.* 33.
Peninsula Indiae Orient. Spec. Wigthii, herb. proprii n°. 2412 (*Herb. Hook.*).

Planta succulenta (ut videtur), caule terete, glabro, striato; bases foliorum latae, ipsaque folia sunt alterna, utrimque glaberrima, nervo medio crasso; nonnulla vero sunt apice levissime retusa, immo excisa, pleraque vere repandula, paucissima sunt integerrima, omnia spathulata, fere 10 cent. longa et 3½ cent. lata, versus basin subito attenuata, tenuiter membranacea, prasina, in axillis vix aut parum barbatula; pedunculi sunt elongati, fere 2½ cent. longi, trichotomi, trichotomiae bracteis pellucidis, elongatis, acutis, in axilla barbatis, singulorum vero flosculorum subtrifidis, media lacinia elongata, acuta; in his, uti et in calyce et corollae dorso, pili sunt brevissimi, adpressi. Calycis tubus ovario adnatus, costatus; laciniae calycis ovatae, basi angustiores, apice rotundatae; corollae tubus longus, basi interne pilosus; superne vix pilosus, nec squamulosus aut ramentaceus. Stylus sursum valde incrassatus. Fructum non vidi. Ab aliis Scaevolis diversa est forma et structura foliorum, floris habitu et colore.

4. S. LAMBERTIANA.

Fruticosa, axillis barbatis et imberbibus; foliis petiolatis, alternis, obovatis, integerrimis, ultra petiolum decurrentibus, tenuiter membranaceis, olivaceis, glabris; cymis 2-3-chotomis; calycis limbo 5-fido, ovarium superante vel subaequante, laciniis lanceolatis, pedunculo pedicellisque glabris; corolla flava, externe glabra, interne tubo dense piloso, in dorso glabro, lobis vix acuminatis, subalatis; filamentis antherisque contortis; stilo inferne piloso, sursum glabro, incurvo, indusio stigmatis maximo, dense et longe piloso; fructu drupaceo, biloculari.

S. Lambertiana *de Vriese in Anal. Gooden. Nederl. Kruidk. Arch. II. p.* 35. *India Orient. Bombay. Spec. herb. Lamb.* (*Herb. Hook.*)

Caulis est medullosus, petiolorum basis lata est, et plerumque subamplexicaulis; folia sunt 18—20 cent. longa, 7 cent. lata, olivaceo-viridia, utrimque glaberrima, tenuissime membranacea, haud repanda, nervo medio crasso instructa, obovata, obovato-oblonga, integerrima; inflorescentia est axillaris, plerumque imberbis; pilis organorum floralium caducis.

5. S. SERICEA.

Fruticosa, ramosa, molliter sericeo-tomentosa, axillis foliorum lana argentea, sericea, parallela, densaque, longissima ad foliorum ortum, breviore ad insertionem pedunculorum, demum caduca instructis; foliis sessilibus basi in partem attenuatam elongatam productis, obovatis, spathulatis, subcoriaceis, integerrimis, apice subrepandis vel (in juniore forma) grandi- et remote dentatis crenatisve; pedunculis axillaribus di-trichotomis; floribus minutis brevioribusque pedicellis instructis; calyce flavo, dense sericeo-tomentoso, limbi 5-partiti laciniis tubum fere aequantibus; ovario biloculari; stylo barbato; stigmatis indusio dense ciliato, externe tomentoso.

S. sericea *Forst. prodr. n°.* 504. *qui eam crescere dicit in Botanices insula ad Novam Caledoniam.*
» » *Vahl. symb.* 2. *p.* 37.
» » *Poir. dict.* 7. *p.* 147.
» » *Willd. sp. pl. I. p.* 956.
» » *Brown prodr.* 583.
» » *de Cand.* » *VII.* 506.
» » *La Billard. sert. austro-cal. p.* 41. *t.* 2.
» » *de Vriese, in anal. Gooden. Nederl. Kruidk. Arch. II. p.* 31.
» velutina. *Presl. rel. Haenk.* 2. *p.* 50.
» » *Endl. fl. der Süds. ins. in Ann. Wien. Mus. I.* 170.
» » *de Cand. prodr. VII.* 506.

Littorum maritimorum accola. Crescit in insulis diversis praesertim Oceani Pacifici, Asiae terra continente, cet.

1°. In insulis Societatis (Forster).
2°. » Cochinchina (Gaudich.).
3°. » ins. Guaham Mariannarum (Presl.). Vidi spec. Hänkei ex dicta ins. (sub nom. S. velutinae Presl. n°. 125). (Herb. Mus Caes. Vindob.).

4°. In ins. Low. Banksii spec. (ib.)
5°. » sinu Byronis (Byrons bay) (Herb. Hook.) a Macrae lectum.
6°. » Nova Hollandia tropica. Brown. Ferd. Bauer. (Herb. Mus. Caes. Vindob.)

Teste Browneo, Viro Illustr. adeo analoga est S. Koenigii, id est S. Lobeliae, ut, demtâ pube, vix ullum remaneat discrimen. Sed floris character pro specie constituenda jam sufficeret.

Ex accurata comparatione speciminis Haenkeani mihi constitit, ab hac specie non diversam esse *S. velutinam* Presl, quam igitur ut synonymon huc traxi.

Caulis medullosus, ad nodos late cicatrisatus, folia alterna, molliter tomentosa, 5. 9 cent. longa, 3½ cent. lata, uninervia, adulta vix repanda, juniora vero semper apice eroso-, vel crenato-, vel dentato-repanda; cymarum pedunculi communes saepe folia superantes, pedicelli autem breviores; flores minuti, bibracteolati, bracteolis oppositis, linearibus, subulatis; corolla angusta ⅘ cent. partem longa, uti et calyx aureo-sericea, vel sericeo-tomentosa.

β. foliis subcoriaceis vel carnosis, succulentis.

6. S. MONTANA.

Fruticosa, axillis barbatis; foliis breviter petiolatis, confertis, obovato-oblongis, glabris, aveniis, subcoriaceis, integerrimis, undulatisve, subcrenatis, infra attenuatis; pedunculis dichotomis pubescentibus, folio brevioribus; bracteis foliaceis, floribus in dichotomia sessilibus; calycis limbo 5-partito, corollis tomentosis.

S. montana *Labill. sert. Austro-Caled. p.* 41. *t.* 42.
» » *de Cand. prodr. VII.* 506.
» » *de Vriese Anal. Gooden. in Nederl. Kruidk. Arch. II. p.* 36.

Habitat
1°. Novam Caledoniam Labill. cujus ipsum specimen vidi in Herb. Delessert. a Webbio Viro Cel. datum. 1838. Spec. ex herb. Vent. (ib.)

2°. Insulas Sandvicenses. Spec. Gaudich. voy de la Bonite. 1836 (Herb. Delessert).

Speciem sic descriptam legimus a Cel. auctore l. c.

»Frutex orgyalis et altior, ramis infra denudatis foliorum cicatricibus exasperatis. Folia alterna, conferta, obovato-oblonga, glabra, avenia, subcoriacea, integerrima undulatave, subcrenata, infra attenuata, petiolis brevibus, pilis niveis, sericeis, fasciculatis, axillaribus. Cymae terminales axillaresve, floribus bracteatis e dichotomia pedicellatis, interque dichotomiam sessilibus, intus extusque, ut cymae, pilosis. Calycis 5-fidi laciniae oblongae, obtusae. Corolla tubulosa, hinc longitudinaliter fissa, genitalia exserens. limbo laterali 5-fido, laciniis ovato-lanceolatis, acuminatis, margine laevibus, membranaceis. Stamina 5 sub corolla inserta, antheris adnatis. Stylus pilosus, teres, staminibus longior, stigmate intra ciliatum urceolum lamellato, ejusdem longitudine. In flore vero nondum evoluto antherae apertae stigmati approximatae foecundantem pollinem jam in urceolo fundunt. Drupa ovato-oblonga, infera, laciniis calycinis coronata, nuce biloculari. Semina solitaria, immatura.

»A. *S sericea* differt: foliis non mollibus, tomentosis, a *S. Lobelia* cymis tomentosis. Praeterea monticola est, nec littorea."

7. S. MACRAEI.

Fruticosa, ramosa, axillis vix barbatis; foliis cuneatis spathulatisve, trinerviis, obtusis, integerrimis, coriaceis; cymis trichotomis, longe pedunculatis, trifloris, flore medio sessili, lateralibus pedicellatis; bracteis bracteolisque linearibus, oppositis; calycis laciniis brevissimis; corollis longo tubo instructis, in dorso glabris, interne villosissimis, immo lanatis, tubo ramentaceo, lobis acutis, alatis; stylo basi villoso; drupa membranula calycis coronata, areolata.

S. Macraei *de Vriese in Analect. Gooden. Nederl. Kruidk. Arch. II.* 50. 30.

Habitat ins. Zeylanicam. Spec. Macrae, (Herb. Mus. Caes. Vind. et Herb. Hook.)

Habitus et plurimi alii characteres sunt *S. Thunbergii.* Sed differt: foliis non comosis, non obovatis, sed contra cuneatis, apice rotundatis, spathulatis, pedunculis longissimis, pedicellis brevioribus, iisque cum floribus fere horizontalibus, tubo corollae valde elongato, ultra cent. longo, laminaque ipsa angustiore. Longitudo foliorum est 0,06, latitudo in maxima diametro 0,02. Nervi laterales versus apicem usque attenuantur, tandem evanescunt. Pedunculi cymarum 0,035 longi sunt, laterales tenuiores, vix 0,015 superantes. Reliqua, quantum opus erit, illustret tab. IV.

Quod formam foliorum attinet, ad hanc speciem maxime accedit specimen Naturae Scrutatoris Gallici, VERREAUX, lectum in ora orientali Novae Hollandiae sub numero 532 et 318 in Herb. Mus. Pariensis obviam. Folia tamen sunt magis spathulata quam cuneata, et iis nostri speciminis omnio longiora. Longitudo nimirum aequat 0,055. Sunt porro basi valde attenuata. Forsan nova species, quam tamen, ob florum defectum, ut talem proponere vix audeam.

Tab. IV n°. 1. Ramus. 2. Pedunculus cum flore aperto et nondum recluso; 3. Flos magnitudine auctus. 4. Drupa. 5. Eadem interne visa. 6. Semen imperfecte enatum ([2]).

8. S. SENEGALENSIS.

Fruticosa, axillis foliorum subbarbatis, bractearum vero barbatis; foliis late-obovatis, basi attenuatis, integerrimis, (ramisque) glabris, subcarnosis, trinerviis; pedunculis axillaribus, dichotomis, folio brevioribus, calyce brevissime, 5-dentato; corollae interne glabrae lobis immarginatis; » ovario enervi "; drupa magna, globosa; costata, calyce coronata.

S. Senegalensis *Presl. rel. Haenk.* 2. *p.* 59.
» » *de Cand. VII.* 507.
» » *Hook. Flor. Nigrit. p.* 440.
Cerbera ovata. *Sub. pl. exs. Seneg. n°.* 23.

Habitat Senegaliam. Spec. Sieb. (Herb. Mus. Caes. Vind. et Herb. Hook.)

Tota planta carnosa est. Caulis est cicatricosus et nodosus; petiolorum basis lata est, fere subamplexicaulis; nervus medius crassus, laterales tenuiores, margo folii est integerrimus. Longitudo 0,055, latitudo 0,03. Pedunculi et pedicelli crassi, carnosi, di-, trichotomi. Corolla cum calyce externe glabrescit, interne est vel glabra, vel lanata, vel ad margines subramentacea. Laciniae corollae sunt immarginatae; tota corolla 0,02 longa; calyx est brevissimus, suffultus duabus bracteolis linearibus, lanceolatisve.

Olim hanc speciem synonymam habui cum *S. Thunbergii*, in quo tamen nunc me erravisse fateor, novis quippe inspectis speciminibus meliora doctus. Est species distincta, me judice, cum *S. Plumierii* (*Lobelia*) haud confundenda,

9. S. SIEBERI. (†)

Fruticosa, axillis foliorum bractearumque glaberrimis vel minutissime sericeo-lanatis; foliis obovatis, basi attenuatis, integerrimis, carnosis, trinerviis; pedunculis axillaribus, dichotomis, articulato-nodosis, bracteolatis, folio longioribus; calycis limbo subnullo vel haud distincte obtuse 5-dentato, marginato; corollae externe glabrae, interne, quod tubum attinet, lanatae, quod faucem ramentaceae, quod lacinias alatae et fimbriatae; stylo basi lanato, sursum glabro; stigmatis indusio externe hic illic hispido, margine ciliato vel nudo; stigmate ipso exserto.

Hab. insulam Mauritium. *Spec. Sieberi II.* 222. (*Herb. Mus. Caes. Vind.* — *Herb. Splitg. in Horto Acad. Lugd. Bat.*)
» Madagascariam. *Spec. Bernier.* 2 *envoi n*°. 195. (*Herb. Mus. Paris.*)

Quamvis *S. Senegalensi* omnino analoga esse videatur, tamen manifesto specifice ab ea differt, imprimis corolla, stylo, tota inflorescentia.

Folia non nisi dimensione differunt (long. 0,07, latit. 0,026). Articuli sunt nodosi, crassi. Ubi pedunculus oritur, ibi ad basin folio oppositam est vaginula brevis, crassa, quandoque parum elongata et apice contracto, acuminato instructa. Pedunculus communis est elongatus, fere 0,04 longus, ad dichotomiam incrassatus, bibracteatus, bracteis oppositis, linearibus, lineari-lanceolatis, ramulis iterum di-

chotomis ad bracteolas, iterumque dilatatis et lineari-bracteolatis; calyx tandem ipse bracteolis duabus, oppositis, linearibus, in axilla longe-albo-lanatis instructus, costatus, margine membranaceo vix dentatus vel obtuse et irregulariter 5-dentatus. Corollae laciniae alatae, fimbriatae.

10. S. THUNBERGII (†).

Fruticosa, carnosa, axillis obsolete-barbatis, foliis obovatis, integerrimis, rosaceo-congestis, glabris; pedunculis axillaribus, angulatis, dichotomis, trichotomisque, folia aequantibus vel eadem longe-superantibus; bracteis bracteolisque linearibus, acutis; calyce obtuse-denticulato; corollae tubo villosissimo, lobis marginatis; stylo inferne et stigmatis indusio villoso; drupa ovato-globosa, laevi.

S. Thunbergii *Eckl. et Zeyh. ex Dreg. comm. p.* 292.
» » *de Cand. prodr. VII.* 507.
» » *de Vriese, anal. Gooden. l. c. II. p.* 29.
» Lobelia *Thunb. fl. cap. I.* 186.
Cerbera ovata. *Sieb.*

Habitat ad *Caput Bonae Spei.*
Specim. Drege. 1837. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)
» *de la Goa Bay. Forbes.* (*Hook.*)
» *Uitenhage.* (*Hook. Lindl.*)
» *Ecklon.* (*Herb. Splitg. Horti Acad. L. B.*)

Planta fruticosa, carnosa, succulenta; caule terete, ramoso, crasso, cicatrisato, interne medulloso; foliis obovatis, demum basi attenuatis, et postremo basi dilatata subamplexicaulibus, in nonnullis speciminibus facile a caule solvendis, 7-10 cent. longis, 3-4½ cent. latis; barba axillarum caduca. Calycis limbus modo perexiguus, modo dentibus magis manifestis conspicuus. Corolla in dorso glabra. Fructus est drupa baccata, modo globosa, modo magis oblonga.

A *S. senegalensi* nunc mihi videtur distincta. Cum *S. Plumierii* Auct. (*S. Lobelia* Linn.) vix ulla, nisi in generis charactere, affinitas est.

An huc quoque pertineat specimen Herb. Mus. Parisiensis sub nomine *S. Plumierii* ibidem obvium, ex Hispaniola, insulis Antillanis, Porto Rico (Plée), vix certo dicere audeo; forma tamen foliorum eadem fere videtur. Aliud ibidem specimen est cui adscriptum »*S. modavia*," sur la plage de Bourbon, quod huc verosimiliter est referendum.

11. S. UVIFERA.

»Fruticosa, ramis decumbentibus, axillis imberbibus; foliis ovalibus vel obovatis, uti rami glabris, carnosis; floribus cymosis; cymis folia dimidia longitudine aequantibus; pedunculis parum compressis; bracteis carnosis, linearibus; calycis margine integro vel 5-6-crenis instructo; corollae albae, inodorae lobis basi fimbriatis; filamentis glabris; antheris cum connectivo in apicem angulatum desinentibus; ovario 10-striato, stylo basi piloso; baccae purpurascentis drupâ pyriformi, rugosa."

S. uvifera *Stocks in ms. Herb. Hook. et in Wight. Icon. pl. Ind. Orient. Vol. IV. p. IV.* n°. 1613.

Ad Ostium Indi, in collibus arenosis, ad mare prope Kurrachee.

Icon a Wightio data optime speciem illustrat, quare ab ulteriore descriptione abstineo.

Vidi in Herb. Ill. Hook.

Species imperfecte cognita est

12. S. CUMANA (†).

Folia sunt carnosa (uti in *S. Thunbergii*), obovata, enervia, 0,045 longa, 0,02 lata An vera Scaevola?

5*

Vidi in Herb. Mus. Paris. in Herbier de l'Amérique équatoriale, donné par Mr. A. Bonpland. Specimen est incompletum.

Spinescentes.

IV. CROSSOTOMA.

Calycis limbus obsoletus, vel vix obtuse-5-dentatus. *Corollae* alae fimbriatae aut subintegrae. *Antherae* liberae, apice imberbes. *Indusium* stigmatis ciliatum. *Pedicelli* 1-flori, apice bibracteati. *Drupa* exsucca, bilocularis.

Frutices spinescentes, foliis integerrimis, aveniis, plerisque fasciculatis, bracteolis saepe deciduis, vel in aliis persistentibus.

Stirpes Novae Hollandiae, Insularum Sterilium etc. indigenae.

Scaevolae Auctorum. Sect. IV Scaevolae *Br. prodr.* 586. Crossotoma *Don. gen. syst.* 3. *p.* 730. Pogonetes *Lindl. nat. syst. ed.* 2, *p.* 243 *et* 443. *Veg. Kingd.* 695. *de Cand. Sect.* Scaevolae. *prodr. V.* 512.

1. C. SPINESCENS (†).

Fruticosa, ramulis spinosis, foliis ovalibus, obovatisve, bracteolis pedicelli deciduis, alis corollae longitudinaliter fimbriatis.

C. spinescens *Don. l. c. et synonyma citata.*

Vidi spec. e Nov. Holl. a Ferd. Bauero datum (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*). *N. W. C.* (*Herb. Hook.*). *Mus. Par. Ins. Stériles.* (*François*) *sine flore.*

Descriptio speciminis Ferd. Baueri.

Frutices ramosi; rami teretes, cinerascentes, lignosi, ad nodos ramulis valde abbreviatis, foliatis praediti; folia anguste obovato-spathulata, in petiolum attenuata, obtusa, integerrima, glaberrima, 0,012—0,024 longa, 0,002—0,004 lata, carnosula (?), in siccis rugosa, in ramulis brevibus lateralibus fasciculatim congesta aut iisque paulo longioribus sparsa; pedunculi axillares, folia paulo excedentes, aut aequilongi, tenues, teretes, apice bibracteolati, patentes, aut patentim-reflexi, 0,014-0,015 longi, glaberrimi; bracteae oppositae, persistentes, parvae, lineari-lanceolatae, acutae, 0,002—0,003 longae; flores sessiles, erecti; calycis limbo vix ullo; corolla erecta, stricta, caduca, dorso longitudinaliter fissa, interne tubo villis brevibus farcta; limbus secundus, 5-fidus, lacininae lineari-oblongae, ala angusta, siccando involuta, ad marginem praeditae; stamina et stylus e fissura corollae exserti; stigma campanulatum erectum, nec cernuum, ad incisuram limbi corollae tangens, ad indusii marginem dense-ciliato-barbatum; fructus suffultus bracteis persistentibus 0,006 longus, 0,003 crassus, oblongo-subcylindricus, basi paulo attenuatus, glaber, vertice libero, nec calyce tecto, lignosus, indehiscens, bilocularis, 2-spermus; semina in loculo quoque solitaria, septo parallela, compressa, erecta; albumen corneum.

2. C. OLEOIDES. (†)

Frutescens, ramulis puberulo-velutinis, hinc inde spinosis, foliis oblongo-linearibus, bracteolis pedicelli persistentibus, alis corollae non, aut vix fimbriatis.

C. oleoides *de Cand. prodr. VII.* 512.

Sw. Riv. Drumm. 1839. (Herb. Lindl.) Côte Occid. Nouv. Holl. (Herb. Mus. Par.)

Folia fasciculata fere *Rhamni oleoidis*, 0,01—0,05 longa, 0,003 lata. Corolla omnibus numeris illi priori speciei similis.

Specimen Musei Parisiensis haec habet adscripta: »Nova Hollandia. Baie des Chiens marins." Flores desunt. Folia sunt obovato-oblongo-linearia, fere 2 cent. longa, ½ cent. lata, integerrima, fasciculata.

3. C. LYCIOIDES. (†)

Frutescens, ramulis glabris (an hinc inde spinosis?), foliis oblongo-linearibus, bracteolis pedicelli persistentibus, alis corollae non (aut vix) fimbriatis.

C. Lycioides *de Cand. prodr. VII. p.* 512.

In Dampieri Archipelago ad oram bor. occid. N. Holl. legit Al. Cunningham (Teste Ill. Candolleo).

Specimen vidi a Cel. Gaudichaudio lectum, quod obvium est in Museo Parisiensi.

Herbaceae.

V. MOLKENBOERIA.

Flores axillares in pedunculis elongatis, *bracteis* duabus oppositis, maximis, foliaceis, persistentibus instructi. *Calyx* tubulosus, striatus, 5-dentatus, longitudine ovarii ratione corollae brevissimus. *Corolla* tubo longo, limbo quinquelobo, lobis alatis, acuminatis, ovatis vel subemarginatis instructa. *Staminibus* liberis; antheris elongatis, apice saepius barbatis. *Stylo* piloso, longo, exserto, vulgo reflexo; *stigmatis* emarginati indusio maximo, hispidissimo. *Fructus* est nux 1—2-locularis, loculis monospermis.

Plantae herbaceae, vix fruticosae vel suffruticosae, Australasicae, foliis magnis, integerrimis, vel saepe grosse-dentatis,

nonnumquam subamplexicaulibus, vel longe petiolatis, glabris, hispidis, ciliatis, cauli accumbentibus; bracteis duabus oppositis, fere foliiformibus, florem saepe superantibus; calyce brevissimo inter duas bracteas contento; corolla coerulea vel alba, loborum alis haud raro in directione horizontali parallelo-venoso-striatis.

Est pars Sectionis II et tota Sectio III. Scaevolarum Rob. Brownei. Sect. IV. Pogonandra *de Candolle prodr. VII. p.* 511. Pogonanthera *G. Don. gen syst.* 3. *p.* 720. Pertinent huc plures Scaevolae species auctorum (*de Cand. Benth.*), quae synonymae sunt et varietates potius quam species habendae.

Generis novi typum esse Scaevolam macropodam (M. striatam Nob.), quae huc pertinet, jam suspicatus est Candolleus (p. 509), propter calycis lobos iis Leschenaultiae similibus.

Dico genus amico Jul. Henr. Molkenboer, viro optimo, botanico egregio, de plurimis botanices partibus, imprimis tamen de bryologia, meritissimo.

Cfr. tab. V-IX.

1. M. PILOSA.

Herbacea, erecta, leviter flexuosa, patentius pilosa, foliis oblongo-spathulatis, apice grandi-dentatis, basi angustatis, amplexicaulibus, superioribus oblongis, brevi- et exserte-dentatis; pedunculis longissimis, unifloris, adscendentibus, bracteis integerrimis, ovatis, corolla fere dimidio brevioribus, calycibus brevissime dentatis, alis laciniarum corollae aveniis.

Scaevola pilosa *Benth. in Hug. enum. p.* 69.
» » *de Cand. prodr. VII.* 511.

Vidi specimen ex Nova Hollandia ad flum. Cygn. ab Hugelio, Viro Nobilissimo, lectum (Herb. Mus. Caes. Vind.).

Planta herbacea, pilosa; caulis teres est, patentius pilosus, leviter flexuosus. Folia sunt basi angustiora, amplexicaulia, fere trinervia, ad duas tertias longitudinis partes integerrima, cuneata, deinde grandi-remote et exserte dentata, apice submucronalata, sursum latiora, superne viridiora, in dorso pallida; quae maxima sunt eorum longitudo aequat 0,06; latitudo maxima est 0,02. Pedunculi sunt axillares, adscendentes, 0,035 longi, tenuissimi, fere filiformes. Bracteae duae oppositae, erectae, ovatae, acutae, nervo medio crasso instructae, hispidae, margine ciliatae. Calyx exiguus, costatus, sub-5-dentatus, pilosus; corollae a basi ad apices loborum fusco-parallele striatae, tubo fisso, staminibus liberis, antherisque exsertis; lobis obovatis, acuminatis, alatis; stylo hirtsuto, stigmatis indusio maximo, pilis longissimis albis instructo,

Tab. VII. Fig. 1. ramus florifer. 2. Flos apertus.

2. M. MEMBRANACEA.

Herbacea, erecta, vel procumbens, patentius pilosa, foliis tenuibus, ovato-, vel oblongo-spathulatis, fere ciliatis, apice dentatis, basi latioribus, medio angustioribus, amplexicauli-dilatatis; bracteis obovatis, corollam subaequantibus; calycis limbo brevissime 5-obtuse-dentato, vel obsolete-dentato, alis laciniarum corollae aveniis.

Scaevola membranacea. *Benth. in Hug. enum. p.* 70.
» » *de Cand. prodr. VII.* 511.

Hab. in Nov. Holl. oris flum. Cygn. Hügel.

Vidi spec. Nobil. Hugelii in Herb. Mus. Caes. Vindob. et ejusdem in Herb. Delessert.

Caules et rami sunt tenues; teretes, pilis hispidis, patentibus instructi. Folia tenuia, membranacea, subamplexicaulia, superne hispida, viridia, dorso pallida, a basi ad mediam longitudinem integerrima, inde ad apicem usque late et grossedentata, subrepanda, dentibus apice glandulosis, incrassatis. Folia maxima, 0,03 longa, 0,02 lata. Pedunculi axillares, longissimi, 0,045 longi, folio vulgo duplo longiores, patentius pilosi, teretes, obliqui, incurvi, nutantes; bracteae folio fere

conformes, ovatae, parte dimidia inferiore integrae, sursum dentatae. Corollae bracteas vix, aut parum superantes; calyces fructui adnati, costati, pilosi, brevi-obtuse-5 dentati.

3. M. SEMI-AMPLEXICAULIS. (†)

Fruticulosa, erecta, ramis teretibus, hispidis, foliis semi-amplexicaulibus vel amplectantibus, ovalibus, aliis acute-dentatis, aliis repandis, repando-dentatis, ciliatis, utraque in superficie pilosis; bracteis bracteolisque amplis, foliaceis; floribus in axilla solitariis, brevi-pedicellatis; calycis costati, 5-dentati dentibus brevissimis, obtusis; corolla magna, interne tomentosa, externe velutino-tomentosa; stylo compresso, ad apicem villosissimo; villis albidis, longis, marginem et ipsam superficiem externum indusii stigmatis obtegentibus.

Scaevola semi-amplexicaulis *de Cand. prodr. VII.* 509.
» Benthamea *de Vriese in Lehm. pl. Preiss.* n°. 1510.

Crescit in Nov. Holl. ad fl. Cygn. Drumm. n°. 153. 1843—5 (Herb. Hook.). Idem in Herb. Delessert. Preiss. n°. 1510.

Suffruticosa, totaque planta mollem prae se fert adspectum. Caules flavescunt, sunt teretes, patentim-pilosi, ramosi, flexuosi. Folia sunt ovalia, subrotunda, basi subamplexicaulia, dentata, sinuato-, et obtuse-dentata, (e desiccatione?) rugosula. Folia sursum diametro diminuuntur, sunt fere 0,04 longa et 0,02 lata. Bracteae sunt lanceolatae; calyx minimus est, margo ejusdem est brevissimus, sive fere nullus; corolla flava est; stigmatis indusium maximum, densissime in omni superficie patentim-pilosum, in margine dense, adpresse, albido-pilosum.

Species multis modis variat. Inde non mirum est auctores plures species proposuisse, quae revera omnes ad eamdem speciem pertinent.

Tab. V. fig. eaedem.

4. M. STRIATA.

Herbacea, erecta, ramosa, subadpresse scabro-pubescens, foliis inferioribus decurrentibus, basi subamplexicaulibus, spathulatis, pinnatifido-dentatis, superioribus sessilibus, oblongis, bracteis ovatis vel lanceolatis, subintegerrimis, laciniis calycis ovario duplo longioribus, alis laciniarum, corollae parallelo-venosis.

Scaevola stricta *Br. prodr. p.* 586. *Roem. et Sch. V. p.* 167. *de Cand. prodr. VII.* 511.
» macrodonta *de Cand. VII.* 511.
» macropoda *de Cand. l. c.*
» calliptera *Benth. enum. p.* 50. *de Cand. VII.* 511.
» grandiflora *Benth. enum. l. c.*
» Benthameana *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 411.
Baudinia humilis *Lesch. herb.*

Nov. Holl. ad fl. Cygn. Drumm. n°. 18. 1842. 392. 1843.
» » cet. ab eodem (*Herb. Mus. Caes. Vind.*).
» » » ab Hugelio (*ib.*).
» » » spec. Ferd. Baueri n°. 1. 279 (ib.).
» » » *Preiss.* 1520. *Herb. Splitgerb.*

Vicina species est *M. semi-amplexicauli,* sed tamen propter foliorum characteres et bracteas maximas cet. ab ea diversa.

Est planta herbacea, $1\frac{1}{2}$ pedalis, foliis fere 0,04 longis, 0,02 in medio latis; corollae cum tubo 0,02 longae et latae.

Quo tempore nulla alia specimina inspiciendi mihi erat facultas, nisi Preissiana, et quamdiu nondum videram ea Hugelii, aliorumque, propriam admisi speciem. In similem errorem inciderunt de Candolle et Bentham. Est planta omnino herbacea, ramosa, levissime flexuosa, hirsuta. Folia radicalia sunt longe-petiolata, decurrentia, obovata, grandi-dentata, dentibus obtusis instructa; folia autem caulina sunt elongata, obovata, ab apice ad medium usque dentata, dentibus acutis; floribus solitariis, axillaribus et terminalibus, bibracteatis; bracteis oppositis, superioribus plerisque ovatis, summis lanceolatis, oblongo-obovatis, integerrimis; flore magno. calycis tubo brevi, striato, laciniis linearibus; corolla magna, pulcherrime azurea.

interne flava, lobis rotundatis, in medio venosis, obscure azureis, apice plumoso-barbatis; filamentis brevibus, stylo levissime piloso; stigmate densissime lanato, margine dense albido-piloso.

5. M. PLATYPHYLLA. (†)

Suffruticosa, stricta, ramosa, pilosa, foliis accumbentibus sessilibus, amplexicaulibus, oblongis, subrotundo-ovatis, acutis, integerrimis, aut obovato-oblongis et vix acutis, supra medium levissime serrato-dentatis, acutis, acuminatis, pilis sparsis utrinque hirtis, deinde glabratis; floribus in apice ramorum dense foliatorum axillaribus, solitariis, sessilibus, maximis, flavis, folia excedentibus; calyce subcylindrico, quinque-dentato, dentibus rotundatis, stigmatis indusio campanulato, densissime piloso et in margine ciliato.

Scaevola platyphylla *Lindl. Veg. Sw. Riv. Col. App. Bot. Reg. XXVI.* 1836.
» Candollei *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. n°.* 1455.

Vidi in herb. Lindl. spec. Toward. (Herb. Hook.) spec. Drummond. n°. 15. 1842. (Herb. Delessert et Vind.)

Suffrutex strictus, ramosus; rami sunt teretes, hirti; folia, ut supra indicavimus, fere 0,03 longa, 0,01—0,013 lata; flores sunt 0,03 longi, 0,02—0,025 lati, vel latiores, prouti minus vel magis sunt expansi. Bracteae duae sunt magnae, lanceolatae, acuminatae, integerrimae, oppositae, 0,03 longae, in medio 0,01 latae. Calyx habita ratione corollae minutus, vix 0,003 longus, subcylindricus, costatus minute tomentosus, tubo toto germini adnatus; limbus est brevis e quinque dentibus rotundatis constitutus. Corolla ipsa 0,029 longa, calycis fundo adnata, erecta, toto dorso longitudinaliter fissa, indeque limbum secundum, digitato-5-partitum faciens, externe tota, ad apicem laciniarum usque exceptis alis, pilis antrorsis adpressis, canescenti-sericea, interne villis brevibus, valde densis et intertextis farcta; laciniae limbi lineari-lanceolatae, 0,012—0,014 longae, acuminatae, margine utroque ala sensim latiore praeditae, indeque obovato-cuneatae, subtruncatae, 0,006 fere latae, interne glabrae; stamina et stylus e fissura corollae exserta, erecta;

stamina 5, libera, 0,006—0,007 longa; filamenta tenuia, pallida, subcomplanata, flexuosa (an e desiccatione?), 0,004—0,005 longa; antherae erectae, terminales, 0,002 longae, lineari-oblongae, acutae, margine utroque rima longitudinali dehiscentes; stylus robustus, crassus, complanatus, 0,011 longus, 0,001 latus, pilis albidis, patenti-erectis hirsutus. Pili stigmatis 0,003—0,004 longi, stricti. Fructum perfectum non vidi.

Tab. VI. fig. eaedem.

6. M. MACROPHYLLA.

Caulibus angulatis, flavo-pilosis; foliis semi-amplexicaulibus, ovatis, acutis, mucronulatis; argute et acuminato-dentatis, in dorso nervoque medio longissime hirsutis, margine longe-ciliatis; bracteis lanceolatis, acutis, argute dentato-serratis; floribus axillaribus, congestis; calycis tubo cum germine connato, costato, minimo, limbo quinque-dentato, dentibus rotundatis, parvis, piloso; corolla magna, tubo flavo, nigro-striato, adpresse sericeo-piloso, externe et in medio piloso, pilis contextis, citrinis; laciniis obovatis, in medio striatis, medio dorso adpresse-hirsutis, lateribus alatis, cyaneis, pellucidis, apice penicillatis; stylo plano, glabro, sed ad basin indusii pilis retrorsum hispidis instructo, margine albido-ciliato.

Nov. Holl. ad fl. Cygn. Spec. Drummondi (Herb. Hook.).

Species admodum characteristica propter caules flavo-villosos, folia acuminato-serrata, 0,035 longa, 0,015 lata; flores praeterea maximos, cum calyce 0,025 longos, et (quando toti sunt expansi) 0,025 latos, aliosque indicatos characteres in diagnosi.

Tab. VIII Fig. eaedem

7. M. MICROPHYLLA.

Basi suffruticosa, ramosa, ramis teretibus, tenuibus, levissime tomentosis; foliis solitariis vel 2-nis vel 3-nis, parvis, e basi lata, amplexicauli, ovatis, grandi-paucique dentatis, uninerviis, acutis vel mucronulatis, adpresse-

flavo-pilosis; bracteis lanceolatis vel cordatis, dentatis, acutis, sessilibus, floribus racemosis, remotis, inter bracteas absconditis, brevissime pedunculatis, adpresse-pilosis; calycis tubo cum germine connato, limbo 5-dentato, dentibus rotundatis; corolla calyce multo longior, angusta, lobis emarginatis vel retusis, alatis, medio pilosis; stylo elongato, plano; stigmatis impressi vel emarginati indusio et margine dense albido-piloso, fructu ovato, vel oblongo.

Nov. Hollandia; ad flum. Cygn. Drummond (Herb. Hook.).

Folia vix 0,01 longa, et 0,005 lata. Species ex indicatis characteribus facillime cognoscenda, quo fit ut omnis descriptio fiat supervacanea.

Cfr. tab. IX. Fig. 1. Ramulus florifer. 2. Flos apertus. 3. Idem a latere visus. 4. Lobus corollae. 5. Stigma. 6. Idem a latere visum. 7. Stigma secto indusio. 8. Antherae. 9. Fructus. 10. Semen longitudine sectum.

VI. MERKUSIA.

Spicae terminales et axillares. *Calyx* superus, tubo brevi, limbo 3-dentato, vel 5-fido, quandoque nullo; bracteis elongatis plerumque suffultus. *Corolla* monopetala, tubo longitudinaliter fisso, interne villoso vel stipitato-glanduloso, limbo laterali, 5-fido, alato. *Stamina* floris basi una cum corolla adnata; *antheris* et *filamentis* liberis, loculis antherarum terminalium binis, polline globoso vel ovato. *Ovarium* biloculare vel pseudo-4-loculare, per abortum uniloculare, loculis uni-ovulatis; stylo simplici; *stigmatis* campanulati indusio ciliato vel nudo. Fructus nucamentaceus, saepe costatus, calycis laciniis coronatus, vulgo bilocularis, indehiscens, dispermus. Semina in uno-

quoque loculo solitaria, uno saepe abortivo, albumine copioso, carnoso.

Sunt Scaevolae species auctorum recentiorum. Est sectio II generis Scaevolae auctore Ill. Rob. Browneo. Quam sectionem sic inscripsit: «Spica terminalis (nunc axillaris), bracteis subtendentibus, foliaceis, lateralibus persistentibus. Drupa saepius exsucca, 1—4-locularis." In speciebus quas pervestigavi, tamen vulgo 2 loculos vidi. Praeterea fructum vidi saepe costatum.

Sunt frutices, raro herbae Novae Hollandiae et insularum huic adjacentium indigenae; habent folia alterna, petiolata, vel sessilia, dentata, integerrima, raro carnosa, plerumque membranacea, glabra, vel variis modis pubescentia; flores sunt spicati, terminales vel laterales, bracteati; corollae sunt caducae, dorso glabrae, intérne pilosae; nuce biloculari costata, calyce aucto circumscissove aucta vel coronata. Huc pertinent Sect. II species a Candolleo enumeratae in genere Scaevola. Prodr. VII. 508 (Gymnostegiae) et pars Sect. III. Xerocarpeae Don. gen. syst. III. 720. Tab. X—XII.

1. M. CRASSIFOLIA. (†)

Caule fruticoso, adscendente, paniculato, glaberrimo; spicis terminalibus et lateralibus, longioribus; foliis alternis, inferioribus quandoque oppositis, obovatis, ovalibusque, inferne integerrimis in petiolum attenuatis, reliquam marginis partem dentatis, carnosis; floribus sessilibus, bracteatis; bracteis integerrimis; corollae tubo interne villoso, fauce nuda. Stylus complanatus, villosus, stigmatis indusium vix ciliatum, nux dura, obovata, striata, bilocularis; seminibus hinc convexis, illinc planiusculis.

Scaevola crassifolia *Labill. nov. Holl. I.* 56. *t.* 79. *Br. prodr.* 584. *de Cand. prodr. VII.* 508. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 406. *Anal. Gooden.* 47.

Vidi plurima specimina. Vasse River, on the south Westcoast of New-Holland. Sand near the beach. Mrs. Molloy, 1839. (Herb. Lindl.) — Sin. Reg. Georgii. Mr. Lean et Baxter. — Fraser. N. H. 72. 74. (Herb. Hook.) Preiss. 1486, in Nov. Holl. ora merid.

Planta semi orgyalis, ramis teretibus; folia cum petiolis 0,045 longa, 0,025-0,03 lata, glaberrima, nonnumquam subarticulata; rami florentes polystachi; floribus alternis, remotis vel approximatis; singuli flores bractea foliacea, oblonga, acuta, integerrima, 0,01 longa, patente continentur.

In speciminibus Preissianis haec observanda sunt. Rami sunt lignosi, paniculati, ramosi, erecti, 0,28—0,36 longi, pennam anserinam vel columbinam crassi; ramuli sunt multo tenuiores, sensim minores, 0,1—0,20 longi, apice paniculatim fructiferi, foliati, erecti, inferiores alterni, summi valde approximati, subopposititi, folia alterna, in petiolum attenuata, obovata s. obovato-cuneata, apice rotundata, nunc acuta, infra medium basin versus integerrima, caeterum dentata, crassa, (in siccis rugulosa, in vivis carnosa) glaberrima, cum petiolo 0,20—0,45 longa, 0,10—0,20 lata; spicae in ramorum apice aut in ramulis lateralibus terminales, indeque subpaniculatae, densiflorae, 0,01-0,02 longae, erectae, aut apice subuntantes, bracteis longe persistentibus patentibus squarrosae; bracteae alternae patentes, spicarum deinde accrescentes, sessiles, oblongae, utrinque acutae, integerrimae, crassiusculae, 0,002-0,004, inferiores 0,009 longae, vix dimidiam longitudinem latae, supra (e desiccatione?) concaviusculae, primum e basi lata ovato-acutae, 0,001-0,015 longae; bracteolae collaterales, ad quemvis florem binae, bractea centrali augustiores et breviores, acutae persistentes, una cum bractea deinde fructum sustinentes; flores sessiles, intra bracteam bracteolamque solitarii; calyx minutus, 0,001-0,015 longus, tubus ejusdem maximus, germini adnatus, obconicus, subangulatus, pilis fulvis antrorsis tectus; limbus valde abbreviatus, liber, 5-fidus, laciniae acutae, patentes, in fructu persistentes, inflexae; corollae alabastrum regulare basi apiceque pyramidali-attenuatum; corolla 0,007—0,009 longa, summo calyci inserta, a basi ad apicem fissa, caduca; tubus corollae interne villis plenus, limbus explanatus, interne glaber, 5-fidus, unilateralis; laciniae lineari-lanceolatae, acutae, 0,003-0,004 longae, vix 0,001 latae, nervo mediano crasso percursae, post

antheras involutae, interne glabrae; stamina imo corollae tubo inserta, quina; filamenta tenuissima, filiformia, in connectivum continua; antherae biloculares, oblongae, erectae; loculi lineares, collaterales, apice connectivi coronati, longitudinaliter dehiscentes; pollen ovatum; germen biloculare, calyci adnatum ejusque limbo coronatum; ovula solitaria in quoque loculo; stylus tenuis, complanato-filiformis, flexuosus (in sicco), postquam decidit corolla persistens, 0,004 longus, villosus; stigma magnum cum stylo (in sicco) badium et cum eo persistens, carnosum, indusio membranaceo, cyathiforme cinctum, cujus margo pilis raris patentibus, tenuissimis ciliatus est; fructus calycis limbo inflexo coronatus, obovato-subglobosus, compressiusculus, in lateribus planiusculis, 3-costatus, indehiscens, 2-(aut abortu), 1-locularis; pericarpium et dissepimenta sunt sublignosa; semina in quoque loculo sunt solitaria, uno alterove abortivo.

2. M. FASTIGIATA.

Fruticosa, ramulis fastigiatis; foliis coriaceis, ellipticis, mucronulatis, dentatis; floribus in apicibus ramulorum brevi-spicatis; bracteis linearibus; calycibus brevissimis, subnullis; corollis »laete cyaneis"; stylis pilosiusculis, stigmate ciliato.

S. fastigiata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 406.

In littore arenoso ad Balhead ad fl. Cygn. legit Preiss. Herb. 1491.

»Frutex tripedalis," folia fere 0,02 longa ad basin usque denticulata. Habitu accedit ad priorem, diversa vero forma foliorum et floribus congestis.

Specimen a me visum est incompletum, sed tamen nimis diversum a *M. crassifolia*, quam ut jure huc referri possit. Si meliora habendi dabitur opportunitas, species haec denuo erit describenda.

3. M. MULTIFLORA. (†)

Glaberrima, caule paniculato; foliis ovalibus, argute serratis, utrinque acutis, spicis elongatis, multifloris; bracteis lineari-lanceolatis, integerri-

mis; corollae lobis acute in medio cuspidatis; stylo villoso, stigmate bifido vel bicruri, fructu costato, laevi.

M. multiflora *de Vriese in Anal. Gooden. p.* 48.
Scaevola » *Lindl. Sw. Riv. Col. App. XXVI. ad calc.*
» » *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 406.

A *M. crassifolia* maxime differt forma foliorum. Contra differt a *M. ovalifolia:* foliis serratis et tomentosis.

Hab. ad flum. Cygn. et Sin. Reg. Georgii.

Vidi specimina haec.

Flum. Cygnorum. Drummond 1839 (*Herb. Lindl.*)
» » » (*Herb. Hook.*)
» » Mr. Lean (*ib.*)
» » Baxter (*ib.*)
» » (*Herb. Mus. Vind.*)
» » (*Preiss.* 1517.)

Descriptio speciminis Lindleyani.

Rami sunt apice paniculati, fastigiati; folia basi in petiolum sunt attenuata, ovalia, elliptica, aut oblongo-elliptica, acuta, basi integra, apicem versus argute-serrata, cum petiolo 0,03-0,06 longa, 0,03-0,012 lata, supra intensius colorata, subtus opaca, dilutiora, nervo medio ad folii medium crasso percursa, supra medium evanido, collateralibus nervis utrinque vix conspicuis, a petiolo apicem versus divergentibus; spicae graciles, bracteis obtectae post anthesin persistentibus multiflorae, erectae, subflexuosae, basi saepe ramosae, indeque rami paniculaeformes; bracteae magnae, inferiores majores, 0,01 longae, 0,004 latae, lineari-lanceolatae, acuminatae, integerrimae; bracteolae collaterales, ad bracteam unamquamque duas tertias aut dimidiam suae bracteae partes minores et multo angustiores, integerrimae; flores in axillis bracteae cum bracteolis suis sessiles, solitarii; calyx germini adnatus, globoso-urceolaris, diametro vix 0,001 excedens; limbus calycis vix conspicuus, subobliquus; corolla calycis limbo inserta, per longitudinem fissa, tubus externe glaber, interne villis patentibus, crebris, hyalinis, haud articulatis, acuminatis, densissime farctus, nervis longitudinalibus, crassiusculis instructus; lim-

bus 5-partitus, laciniae lineari-oblongae ; stamina 5 post lapsum corollae persistentia ; filamenta tenuia, plano-filiformia, flexuosa, post anthesin contorta, glabra, antheris plus triplo longiora; anthera lineari-oblonga; germen inferum, id est, calyci totum quantum adnatum, subglobosum, biloculare; stylus tenuis, filiformis, flexuosus, pilis innatis, patentibus, sparsim villosus, deinde glabratus; stigma magnum; indusium cyathiforme, fuscum, haud pubescens, ad marginem eleganter et dense ciliatum. Fructus maturi desunt.

Tab. X. fig. 1. Ramus florifer. 2. Flos apertus. 3. Lobus corollae. 4. Gemma floralis. 5. Flos ablatis calyce et corolla. 6. Stamina. 7. Stigma exsertum bicrure, sive bi-appendiculatum. 8. Id. magn. auctum.

4. M. OVALIFOLIA. (†)

Fruticosa, ramosa, adscendens, polystachya, cinereo-tomentosa; foliis petiolatis, ovalibus et ellipticis, pauci- et obscure-dentatis, utrinque acutis, apice mucronulatis; spicis foliosis, elongatis, multifloris; bracteis rhombeo-ellipticis et lineari-lanceolatis, vel etiam longe-cuspidatis, integerrimis, calycis limbo supero, tamen subnullo; tubo corollae fisso, interne piloso; stylo nudo, versus apicem subbarbato; stigmatis indusio ciliato.

M. ovalifolia *de Vriese Analect. Gooden. II.* 49.
Scaevola » *Br. prodr.* 584. *de Cand. prodr. VII.* 509.

Illustr. Brown duas proposuit varietates, quae sunt:

α. *cinerascens*, cujus specimen vidi in Herb. Mus. Caes. Vindob. a Ferd. Bauer datum ex Nov. Holl. Ora orientali, intra tropicum. Spec. aliud. Ill. Auctoris vidi etiam in mus. Parisiensi.

γ. *media*, quam non vidi.

Tertiam variet. addidit Cel. de Candolle.

β *glabra*, neque hanc videre licuit.

Sunt folia ovato-elliptica, ovalia, obovata, basi attenuata, aut acuta, obscure serrato-dentata, apice mucronulo brevi munita, 0,02-0,04 longa, 0,03-0,015 lata. In caeteris magna cum prioribus speciebus analogia.

5. M. MACROSTACHYA.

Caule suffruticoso, adscendente, tomentoso, demum glaberrimo; spicis longissimis terminalibus et lateralibus, foliis sessilibus, aliis majoribus, oblongo-lanceolatis, aliis in his axillaribus, linearibus, omnibus spinoso- et longe ciliato-dentatis, revolutis, coriaceis; floribus bracteatis; bracteis linearibus, longissimis, acuminatis, longe setaceo-serratis; calycis tubo sulcato, limbo nullo, tubo corollae interno subpubescente, laciniis ad marginem setis longis instructis; stylo flexuoso, stigmatis indusio subimberbi.

M. macrostachya *de Vriese Anal. Gooden.* 49. *N. W. C.* (*Herb. Hook.*)

Distinctissima species, habitu prioribus analoga, sed specifice diversa, sic porro ad specimen herb. Hookeri describenda:

Caulis suffrutescens, adscendens, glaber, nitidus. hinc inde pilis sparsis patentibus munitus; rami stricti, crassitie pennae columbinae, tenues ab apice basin versus ramosi, 0,30-0,5 longi; ramuli erecto-patentes, apice in spicas floriferas mutati, inferiores plerumque imperfecte evoluti. folia sessilia aut basi in petiolum attenuata, in ramis primariis aut caulis oblongo-, sive lineari-lanceolata, basin versus attenuata, apice acuminata, 30 35 mill. longa, 5-7 mill. lata; folia ramorum secundariorum aut ramulorum lineari- et anguste-linearia, acuminata. 0,015-0,025 longa, 0,003 lata, omnia glabra, coriacea. in margine (in siccis certe) spinose- et longe ciliato-dentata, aliis pallide flavescentibus, extrorsis basi incrassatis, deinde valde acuminatis; spicae sunt 0,05-0,10 longae; bracteae foliis consimiles, lineares, basi autem haud attenuatae, sed a basi lata sensim ad apicem attenuatae, in margine haud revoluto (sed plano) pectinatim spinoso-ciliatae, 0,012-0,015 longae, basi vix 0,002 latae, ciliis majoribus conspicuae quam in foliis; bracteolae binae ad bracteam quamque collaterales binae, angustissimae, lineares, 0,007-0,008 longae, vix 0,001 latae, plerumque convolutae, indeque setiformes, persistentes, pariter et longius etiam setaceo-ciliatae, setis antrorsum directis, uti et bracteis et foliis junioribus punctulis elevatis conspersis, indeque asperulis; flores in axilla bracteae cum collateralibus binis sessiles, bracteam suam paulo excedentes, pilis albidis, longis, sub lente hyalinis, tenuissimis, simplicibus, crebris in

basi bracteae et bracteolarum congestis circumvallati; calycis tubus 0,015 longus longitudinaliter 2-sulcatus, germini connatus; corolla magna, albida (?). Stylus staminibus multo robustior, 0,009 longus, apice cum stigmate circinnatim inflexus, caeterum supra basin flexuosus, a basi ad medium usque pilis tenuissimis patentissimis, sparsis, hinc inde obsessus, supra medium vero glaber; stigmatis indusium est minus quam in *M. ovalifolia*, externe pilis sparsis paucis, patentibus obsessum, ad marginem vix pilis minutissimis munitum; fructus desideratur.

6. M. GLOBULIFERA. (†)

Fruticosa, erecta, caule terete, lignoso; foliis lanceolatis, semi-amplexicaulibus, dentatis, aveniis, crassiusculis, supremis integerrimis; floribus axillaribus, solitariis, raro binis, sessilibus; bracteis subulatis; calycis quinquefidi laciniis brevibus, obtusis; corollae tubo et fauce interne pilosis; 12-18 glanduloso-capitellato-pilosis, pilis niveis; filamentis complanatis, antheris adnatis, oblongis; stylo piloso, stigmatis indusio ciliato, nuce tuberculata, quadriloculari.

M. globulifera *de Vriese Anal. Gooden. l. c.*
Scaevola » *Labill. Nov. Holl. I.* 55. *t.* 78. *Br. l. c.* 584. *de Cand. prodr. VII.* 508.

Hab. ad Terram van Leeuwin. Vidi in Herb. Delessert specimen ipsius Labillardierii, at sine fructu. Porro ibidem specimen e Nov. Holl. (Vent.) Herb. Mus. Par.

Baie des Chiens marins. Spec. Gaudichaud. Ad speciem suam illustrandam haec l. c. scripsit Labillardière.

»Caulis 1½ ped. erectus, teres, sublignosus; folia avenia, crassiuscula, semi-amplexicaulia, superiora integerrima; flores axillares, solitarii, sessiles (raro bini), bracteis geminis, subulatis; calycis quinquefidi laciniae brevissimae, obtusae. Corollae tubo interne piloso, oreque capitellis 12—18 papilloso, niveis, pedicellatis, nondum evoluta bilabiata, labio superiore bipartito, inferiore tripartito minori; adulta vero laciniis omnibus subsecundis, incrassatis, costis totidem lanceolatis. Staminum

filamenta complanata; antherae adnatae, oblongae, biloculares. Germen inferum, ovatum; stylus pilosus, teres, per corollae fissuram prorumpens; stigma urceolatum, ore ciliato, intus septiferum, septo lateribus libero [quod septum revera est stigma]. Drupa ovata, calycis laciniis coronata; nux tuberculata, 4-locularis. Semina solitaria, ovata, saepius nonnulla abortiva."

7. M. THESIOIDES. (†)

Suffruticosa, adscendens, ramosa, angulata, longissime paniculata, glabra; foliis inferioribus sublanceolato-paucidentatis vel glanduloso-dentatis, superioribus linearibus; bracteis linearibus, longissimis, acutis, integerrimis, squarrosis; spicis primum capituliformibus, dein porrectis, longis; floribus sessilibus primum approximatis, deinde valde remotis; corolla parva pallide coerulea, interne setoso-glandulifera; stylo villoso, stigmate subciliato; nucibus compressis, laevibus, bilocularibus.

M. Thesioides *de Vriese Anal. Gooden. p.* 51.
Scaevola » *Benth. in Hugel. enum. p.* 68. *de Cand. prodr. VII.* 508.
» squarrosa *Lindl. Sw. Riv. Col. App. XXVI.*
» flaccida et paniculata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 407.

Habitat ad flum. Cygn. et ad oppidum Freemantle (Hugel in Mus. Caes. Vindob.) (Herb. Preis. 1516. 1521) Drumm. (Herb. Hook.)

Specimina laudata, olim a me et aliis ad diversas species relata sunt, et quidem propter indubias, quas offerre videbantur diversitates; sed nunc, pluribus aliis inter se comparatis stirpibus, unam tantum admittendam esse censeo speciem.

Descriptio speciminis Hugeliani. Planta est suffruticosa; rami sunt adscendentes, tenues, graciles; ramuli ad rami apicem sunt congesti, subfastigiati, paniculato-ramosi, 0,3-0,35 longi, glabri, angulati, sparsim foliosi; folia inferiora lineari-lanceolata, acuminata, basi attenuata, ad marginem plerumque revolutum remote obsoleteque denticulata, cum petiolo 0,005-0,003 longa, 0,002-0,004 lata, summa angustissime linearia, reliquis caeterum conformia; spicae primo congestae, capituliformes e bracteis flores excedentibus squarrosae, vix 0,01 longiores, deinde

sensim elongatae, 0,03-0,04 longae, basi remotiflorae; bracteae foliis summis conformes, sed minores et tenuiores; bracteolae binae collaterales, 0,004—0,005 longae, tenuiores, uti bracteae, integerrimae, angustissimae; flores in axilla bracteae uniuscujusque cum bracteolis binis collateralibus solitarii, sessiles, bracteaque minores, primo dense capitati, deinde vero valde remoti; calyx minutus, globosus, glaber, totus germini adnatus, limbus calycis nullus; corolla pro bractea parva, pro calyce maxima, pallide coerulea, ad basin usque fissa, 0,008 longa; tubus corollae est ejusdem limbo plus duplo minor, intus pilis patentibus et ad faucem et paulo altius singulis sparsis, apice glandula albida minutis hinc inde obsessus; laciniae limbi lineari-lanceolatae, trinerves, tenues, juxta nervos marginales supra medium ala cinctae, nec ciliatae; stamina 5 cum pistillo e rima dorsali corollae tubi exserta, erecta; stylus robustus, adscendens, apice nutans, totus fere pilis patentibus villosus, summo apice glaber; stigmatis indusium cupuliforme, deorsum spectans, margine vix ciliatum; fructus indehiscentes intra bracteam et bracteolas persistentes reconditi, transverse oblongi, subdidymi, compressi, laeves, laete virides, in vertice cicatrisati a stylo lapso, biloculares; semine in quoque loculo solitario.

Tab. XI. 1. Ramus florifer. 2. Folia magn. aucta. 3. Flos apertus. 4. Lobus corollae. 5. Bracteae. 6. Ovarium. 7. Fructus immaturus. 8. Stamina. 9. Stigma.

8. M CUNEIFORMIS.

Fruticosa, subpilosa; ramis alternis; foliis cuneatis, argute-dentatis, aveniis, bracteis integerrimis, lanceolatis; spiculis 2-3-floris, axillaribus; calycis laciniis ciliatis; stylo complanato, glaberrimo; stigmate hinc glabro, inde barbato, margine ciliato; »nuce ovata, rugosa, calyce coronata, uniloculari, semine ovato, albido."

M. cuneiformis *de Vriese Anal. Good. p.*
Scaevola » *Labill. nov. Holl. I. p.* 56. *t.* 80.
» » *Br. prodr.* 584. *de Cand. VII.* 509.

Hab. Insulam van Diemen. (Herb. Delessert.) Inter plura de hac specie haec habet Labillardière: »Folia floralia integerrima, lanceolata, bracteiformia, breviora,

caeteris supra dentatis, infimis cuneiformibus, similiter aveniis. Calycis laciniae ciliatae." l. c.

9. M. MICROCARPA. (†)

Fruticosa, ramosa, stolonifera, diffusa, adscendens, erecta, glabra; foliis petiolatis, superioribus subsessilibus, alternis, obovatis, ovatis, cuneatis, suborbiculatisve, basi attenuatis, dentatis, glabris, ciliatis; floribus axillaribus, sessilibus; bracteis linearibus, acutis, ciliatis; calycis superi limbo 5-dentato; corolla externe glabra, interne ad faucem stipitato-glandulosa; stylo pilis longis, raris obsesso; germine minimo, (abortu ?) uniloculari, dispermo.

M. microcarpa *de Vriese Anal. Gooden. p.* 54.
Goodenia albida *Smith Linn. Trans. II.* 347.
» laevigata *Curt. bot. mag.* 287. *Willd. Sp. pl. I.* 954. *Poir. dict. VIII.* 850.
Scaevola microcarpa *Cav. ic. VI.* 1. 509.
» » *Br. prodr.* 585. *Ann. du Mus. d'hist. nat. Vol.* 2. *p.* 348. *de Cand. prodr. VII.* 510. *Schlecht. in Linnaea* 1847. *p.* 603.

Vidi in Mus. Paris. spec. a Cl. Gaudichaud lectum in Nov. Holl.

Recte a Browneo polymorpha dicitur haec species. In herbariis multa specimina hoc nomine *Sc. microcarpae* sunt inscripta. Quodsi vero figuram Cavanillesii et Bot. Mag. 287, tamquam typum hujus speciei licet admittere, tum sequentia specimina a me visa, huc pertinent.

Ad Portum Jacks. Ferd. Bauer (Mus. Caes. Vind.) Australasia. Botany Bay. N. S. W. (ej. ib.) Nov. Holl. Caley (Herb. Delessert) cet. Sydney. Clowes. — Sin. Regis Georg. Baxter. (Hook.) Port Stephens. Burnett. (Herb Lindl.) Nov. Holl. Broydon. (ib.)

Satis illustratur haec species iconibus indicatis et descriptionibus auctorum, praesertim tamen Cavanillesiana. Ad has igitur Lectorem relatum velim.

10. M. PALLIDA.

Radice fusiformi, longa, crassa, lignosa; caule herbaceo, diffuso, adpresse pubescente; foliis cuneatis, lanceolatis, basi attenuatis, dentatis, acutis, mucronatisque, subscabris; spica simplici, coarctata; bracteis integerrimis vel dentatis, acutis, mucronatisque, subscabris; calycis limbo quinque-dentato; dentibus obtusis, minimis, corollae tubo interne piloso; stylo glabro, stigmatis indusio ciliato; ovario (abortu?) uniloculari, dispermo.

M. pallida *de Vriese Analect. Gooden. II. p.*
Scaevola » *Br. prodr.* 585. *de Cand. prodr. VII.* 510.

Nov. Holl. Ferd. Bauer. (Mus. Caes. Vind.). Port. Philips. N. S. W. B. Cunningham Esq. (Herb. Hook.)

Browneo *S. microcarpae* nimis affinis dicta, certe hac omnibus partibus minor est dicenda. Ergo in serie huic immediate est postponenda. De specifica differentia tamen nullum est dubium.

Folia sunt cuneato-lanceolata, summa lineari-lanceolata, basin versus attenuata et integra, apicem versus serrato-dentata, acuta, 0,010-0,024 longa, 0,002-0,005 lata, margine paulo revoluto; bracteae a summis foliis haud diversae, ita ut flores dici possint axillares, sed in apice ramulorum sunt paulo congesti et spicam spuriam formant. Corolla calycem quadruplo superat, limbo 5-fido, palmato, laciniis linearibus, tenuibus, nervis tribus robustis percursae, quorum bini sunt marginales, alis tenuissimis, nec ciliatis; stigmatis indusium dense et longe ciliatum; fructus indehiscens, elliptico-oblongus, verrucis densis asper, atro-viridis, deinde fuscescens, limbo calycis persistente coronatus, (abortu?) unilocularis, monospermus; semina in nostris speciminibus non adsunt.

11. M. HOOKERI.

Suffruticosa, repens, radicans, adscendens, pilosa, ramis angulatis; foliis sessilibus, alternis, cuneatis, subamplexicaulibus, inaequilateris,

subtilissime pauci- et remote-dentatis, mucronulatis, basi attenuatis; foliolis minoribus axillaribus, lanceolatis, integerrimis; floribus axillaribus, pedunculatis, solitariis; bracteis ovatis, acutis, in fructu persistentibus; calycis pilosissimi limbo fere nullo; corolla utraque in facie et in tubo dense pilosa, lobis alatis, mucronulatis; stylo villoso, indusio ciliato; nuce ovata, villosissima, costata, fusca, calycis circumscissi tubo ad dimidium tecta.

Anal. Gooden. II. 55.

Hab. ins. van Diemen; ad Rocky Cape (*Herb. Hook. Delessert*).
» » » Hugel. (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*)

Descriptio speciminis Herb. Hookeriani.

Caulis vix ima basi suffrutescens, hinc inde radices ad nodos emittens, crassitie pennae corvinae, ramosus; rami sunt herbacei, adscendentes, pilis patentibus copiosis hirti; folia sunt sessilia et formam quod attinet valde inaequalia, alterna, nervo unico tantum prae aliis conspicuo, pilis plus minus adpressis, imprimis in dorso et ad apicem ramorum villosa; infima erecto-patentia, lineari-lanceolata, aut lanceolata, basin versus spathulato-attenuata, apice acuta, margine dentibus minutissimis praedita, integerrima, ima basi semi-amplexicaulia, 0,03-0,04 longa, 0,007-0,009 lata; folia superiora sunt spathulata, patentia, imoque reflexa, inaequilatera, obovato- sive elliptico-lanceolata, acuta aut obtusa, basi plus minusve attenuata, modo subfalcata, 0,015-0,03 longa, 0,005-0,014 lata, nunc minutissime (uti folia latiora inferiora,) denticulata, nunc praeprimis altero latere grosse-serrato-dentata, dentibus tantum 1-3 infimo maximo, altero latere ad medium et ultra integerrima, supra medium brevi-dentata, in axilla foliorum inferiorum plerumque adsunt foliola bina rami novelli nondum evoluti (aut potius bracteolae pedunculi nondum enati, sive bracteolae collaterales specierum ante jam descriptarum, gemma florifera autem nondum evoluta) lanceolata, aut lineari-lanceolata, 0,007-0,011 longa, 0,002-0,004 lata, uti folia summa viscosissima; pedunculi axillares solitarii in axillis foliorum grosse dentatorum (bractearum) erecti, aut erecto-patentes, 0,004-0,006 longi, villosissimi, apice bibracteati; bracteae (bracteolae specierum antecedentium) oblongo-lanceolatae, acutae, villosissimae, pedunculo subaequilongae, foliolis

axillarum inferiorum sessilibus subconformes; calyx pilis longis, densissimis, adpressis, antrorsis albidis tectus, viridis, fere totus germini adnatus, obovato-oblongus, limbo fere nullo; corolla ampla bracteas excedens, externe hirsuta, interne pilis minoribus tenuioribus pubescens, longitudinaliter tota fissa; stylus infra stigma barbatus; stigmatis indusium magnum, nutans, campanulatum, vix ciliatum; fructus bracteolis reconditus, obovatus, villosus, rugosus, abortu unilocularis, monospermus, crustaceus, albumen copiosum, bipartibile, embryonis cotyledones tenuissimas arcte cingens.

Tab. XII. 1. Plantae pars. 2. Flos apertus. 3. Lobus corollae. 4. Stamina. 5. Stigma.

12. M. SINUATA.

Herbacea, diffusa, pubescens, villis adpressis, longissime paniculato-spicata; foliis obovatis spathulatis, cuneatisve, dentatis, mucronato- et sinuato-dentatis, axillaribus numerosis, minoribus; spicis 1-, raro 2-floris; bracteis ellipticis, integris, saepe plurimis; floribus sessilibus; calyce 5-dentato; corolla extus hirsuta, tubo interne dense et flavescenti-lanato; stylo complanato; stigma habet indusium barba densa stricta colorata, illud longissime superante obtectum.

Scaevola sinuata *Br. prodr.* 584. *de Cand. VII.* 509.
S. microcarpae *Br.* maxime affinis.
Nov. Holl. *Griffiths et Bauer*(*Herb. Lindl. in Mus. Caes. Vindob.*).
» » Orient. *ex Herb. Vent.* (*Delessert.*)

Sunt herbae diffusae, rami tenues, teretes, pilis minutis, adpressis hirti, apice ramosi; ad ramulorum apicem longe spicati, paniculato-ramosi; folia omnia basi in petiolum longe attenuata, spathulata, subcuneata, obovata, aut lanceolata, acuta, fere lyrato-sinuato-dentata, nunc minus profunde sinuata, dentibus mucronatis, cum petiolo 0,02-0,03 longa, 0,005-0,015 lata, subtus et imprimis juniora adpresse minute-puberula, in foliorum axillis inferioribus saepe folia ramorum involutorum plura, minora et angustiora; spicae terminales, bracteatae, remotiflorae; bracteae oblongae, sive ellipticae, basi acutae, apice mucronulatae, sessiles, inte-

gerrimae, alternae, nunc subopposítae, 0,008-0,016 longae, 0,006-0,025 latae, erecto-patentes; bracteolae binae, collaterales, angustissimae, lineares, apice subulatae, 0,005-0,007 longae; flores in axillis bracteae cum bracteolis solitarii, sessiles, 0,016 longi, bracteis superioribus longiores; calycis tubus germini adnatus, limbus brevis 5-dentatus; corolla magna, ad faucem albido-hirsuta, limbo 5-fido, externe hirsuto, intus glabro, laciniis obovato-spathulatis, apice mucronulatis, alis latis, integerrimis; stylus crassus, staminibus longior; indusium latum, longissime ciliatum; fructum non vidi.

13. M. HUMILIS.

Suffruticosa, adscendens, vel diffusa, pubescens, coriacea, foliis argute-et grandi-dentatis, imis obovato-cuneatis, rameis lanceolatis; spica simplici, bracteis lineari-lanceolatis, subdentatis; calyce 5-dentato; stigmatis indusio altero latere pilis longis coloratis instructo; » ovario biloculari."

M. humilis *de Vriese in Anal. Gooden.* 57.
Sc. » *Br. prodr.* 585. *de Cand. prodr. VII.* 509.

Nov. Holl. australis. *Ferd. Bauer.* (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)

Folia infima patentia, obovato-spathulata, obtusa aut subacuta, superiora erecta, oblongo-lanceolata, acuta, summa acuminata, mucronata, omnia basin versus longe-attenuata, supra basin ad medium fere integerrima, exinde autem argute et grandi-dentata, vel serrata, dentibus mucronulo brevi munitis; in plantis humilioribus pubescentia, cana, in majoribus glabriuscula, 0,018-0,01 longa, 0,006-0,012 lata, summa sensim minora, in bracteas transeuntia, indeque apex rami refert spicam bracteatam, seu foliatam; bracteolae collaterales binae, in axillis foliorum bractealium persistentes, angustissimae, linearis, acuminatissimae. Reliqua organa speciebus jam enumeratis in plerisque consimilia.

Descriptio spec. Auctoris (Br.) in Herb. Vind.

Herbae basi suffruticosae, humiles, digitum ad spithamam altae, adscendentes, ramis erectis nec diffusae; rami nunc pubescentes, in humilioribus magis ramosis glabriusculi, in elatis uberioribus, tenues, fuscentes; folia infima patentia obovato-spathulata, obtusa, aut subacuta, superiora erecta, oblongo-lanceolata, acuta, summa acuminata mucronata, omnia basin versus longe attenuata, supra basin ad medium fere integerrima, exinde autem argute et grandi-dentata; in uberioribus serrata; dentibus mucronulo brevi munitis; in plantis humilioribus pubescenti-cana, in uberioribus glabriuscula, 18-10 millm. longa, 12-6 mllm. lata; summa sensim minora, in bracteas transeuntia, indeque apex rami spicam referens bracteatam seu foliatam; bracteolae collaterales binae in axilla foliorum bractealium persistentes, angustissimae, lineares, acuminatissimae, 4-3 mllm. longae; flores in axillis horum foliorum floralium ac bractearum binarum sessiles, solitarii; calyx et corolla extus dense incano-tomentosi, 14 mllm. longi; calyx minutus, 2 mllm. longus, teres, striatus; tubus germini connatus; limbus tubum dimidium longus, 5-fidus; laciniae rotundatae, erectae; corollae tubus coelum versus totus longitudinaliter fissus, 6 mllm. longus, intus pilis fulvo-flavescentibus farctus; limbus 5-partitus, 6 mllm. longus; laciniae lineari-lanceolatae, intus pilis paucis basin versus obsessae, apicem versus glabriusculae, alis post et ante anthesin inflexis, tenuibus, haud ciliatis cinctae; stamina 5 stigmatis indusium haud attingentia; stylus crassus glaber; stigmatis indusium pilis albidis; longitudine fere indusii praeprimis altero latere ciliatum, altero latere pilis paulo brevioribus; germen biloculare; gemmula in loculo quoque solitaria; fructus desiderantur.

14. M. LYRATIFOLIA.

Caule simplici, suffruticoso, dense ferrugineo-hispido; foliis lyrato-pinnatifidis, deorsum attenuatis, basi valde angustatis, semi-amplexicaulibus, acutis, sinuato-dentatis, dentibus elongatis; spica terminali pauciflora; bracteis linearibus; calycis tubo obsolete-quinquedentato; corollis interne lanatis; stigmate longiore, ciliato.

M. lyratifolia *de Vriese Anal. Gooden. II.* 57.
Scaevola » » » *Lehm. Pl Preiss. I.* 405.

Sw. Riv. Preiss. (n°. 1485).
Australasia. (*Herb. Mus. Vindob. e Mus. Paris.*)
»Flores violaceo-coerulei" teste Preissio.

Folia inferiora basi longe angustata, in petiolum semi amplexicaulem attenuata, ibique integra, supra medium dilatata, oblongo-lanceolata, profunde lyrato-pinnatifida, apice et laciniis acuta, 0,05-0,06 longa, 0,014-0,021 lata, in margine et nervo dorsali pilis patentibus, longis, flexuosis hispidissima; laciniae sunt saepe valde inaequales, nunc angustae, fere acuminatae, nunc ovato-lanceolatae, acutae, folia superiora ad dichotomiam caulis valde diversa, obovato-elliptica, aut lanceolata, basin versus paulo attenuata aut rotundata, petiolo 0,001-0,002 longe, suffulta 0,02-0,08 longa, 0,03 fere lata, supra basin integra, deorsum grandi-serrato-dentata, dentibus acutis, ad marginem haud hispida, sed pilis sparsis hirta, caeterum imprimis dorso pilis adpressis tecta; stigmatis indusium maximum, est patellaeforme, diametro transversa 0,003 latum, in margine pilis longis, strictis, albidis, densissimis, erectis ciliatum.

Observatio. Scaevolam attenuatam Br. non vidi. An huc revera pertineat specimen Mus. Caes. Vindob., quod olim ad hanc speciem retuli, nunc magis magisque dubito (Cfr. Anal. Good. II. 58). Speciem igitur Browneanam, quippe ad eandem sectionem Prodromi ab Ill. auctore relatam, cum verisimilitudine tantum hic liceat referre, donec opportunitas orta sit specimen Auctoris inspiciendi.

15. M? ATTENUATA.

Fruticosa, erecta, pilosa, foliis lanceolatis, dentatis, subtendentibus, integerrimis; corollis externe hirsutis, marginibus supra nudis; stylus villosissimus (Br.).

M. attenuata *de Vriese in Anal. Gooden. II.* 58.
Scaevola » *Br. l. c. p.* 586.

In Herb. Mus. Caes. Vind. est specimen incompletum, a Bauero (Ferd.) oriundum, cui adscribitur nomen Browneanum. De hac planta igitur ex propria observatione nil dicere possum.

16. M. HISPIDA. (†)

Herbacea, hispida, caule tetragono, ramosissimo; foliis sessilibus, lineari-lanceolatis, inferioribus dentatis vel pinnatifido-dentatis, reliquis integerrimis; floribus axillaribus, solitariis; bracteis linearibus; lobis calycinis germen longe-superantibus, linearibus; corollae amplae lilacinae tubo interne striato, antheris apice villosis; stylo hirsutissimo, stigmatis indusio valde piloso, nux calyce coronata, ovata, villosa, decem-sulcata, angulata, biloculari, disperma; semina altero latere plana.

M. hispida *de Vriese Anal. Gooden. II.* 58.
Sc. » *Cav. icon.* 6. *t.* 510. *Brown l. c. p.* 586. *de Cand. VII.* 511.
Goodenia ramosissima *Smith. Trans. Linn. Soc.* 2. 349.

Hab. Nov. Holl. Orient. prope Port Jacks. Sydney. Bot. Bay cet.

Vidi specimina sqq.

Baueri (Ferd.) in Herb. Vind. - Sieb. (Herb. Delessert). Nov. Holl. Caley. Port Jacks. Sydney, plurima specimm. (Herb. Hook.)

Vidi specimen Gaudichaudi in Mus. Paris. ex Nov. Holl. Tum etiam ex Nov. Holl. ora orientali, cui adscripta haec lego: Nouv. Hollande, côte orientale (Voy. aux terres australes, Capt. Baudin. 1801.) ib. ex Port Jacks. Nov. Holl. — Aliud ex herb. Du Petit Thouars.

Amplam descriptionem vide apud Cavanillesium l. c.

17. M. SUAVEOLENS. (†)

Herbacea, diffusa, pubescens, pilis adpressis; foliis oblongo-spathulatis, sinuatis, carnosis, axillis glabris; bracteis lanceolatis, apice rotundatis; dentibus calycinis ovato-lanceolatis; corolla coerulea, tubo interne villoso; stylo glabro, indusio stigmatis dense albo-ciliato; ovario et nuce biloculari.

M. suaveolens *de Vriese Anal. Gooden. II. p.* 59.
Goodenia calendulacea *Andr. bot. rep.* 2.
Scaevola suaveolens. *Br. prodr.* 585. *de Cand. VII.* 510.
» striata *Br? prodr.*
» glaucescens *de Vr. in Lehm. pl. Preiss.* 1477.

Nov. Holl. ad Port Jacks. (F. Bauer) (Mus. Caes. Vind.) New-Castle Hunters River Cunningham n°. 89 (*Deless.*). *Sin. Reg. Georg. Baxter.* (*Herb. Hook.*). Vidi sp. Auctoris in Herb. Mus. Paris.

Folia alterna, oblongo-spathulata, aut obovato-oblonga, basi attenuata, semi-amplexicaulia, apice acuta vel obtusa, basi integra, supra medium sinuata, aut leviter serrato-dentata, rarius integerrima, utrinque, sed imprimis subtus, pilis adpressis pubescentia, in vivis carnosa, nervo medio crasso, sub apice evanido percursa. Stigmatis indusium magnum.

18. M. CAESPITOSA.

Suffruticosa, erecta, glabra, appresse pilosa et strigosa; foliis lineari-lanceolatis, sursum latioribus, margine recurvis, raro obsolete dentatis; calycis limbo brevi, 5-lobo; bracteis lineari-subulatis; corolla interne barbata, coerulea; stylo glabro; stigmatis indusio ciliato.

M. caespitosa *de Vriese Anal. Good. II.* 60.
Scaev. » *Br. prodr.* 585. *de Cand. VII.* 510.

Nov. Holl. meridionalis.

Vidi specimen herb. Vindob. Ferd. Baueri et Drummondi ex Nov. Holl. Austro-occidentali. *Herb. Preiss.* 1509. Sydney ex oris flum. Cygn. et Sin. Reg. Georgii (*Herb. Hook.*)

Suffrutex gracilis, erectus, caespitosus; folia lineari-lanceolata, aut linearia, erecto-patentia, basin versus attenuata, ibique semi-amplexicaulia, linea prominula a puncto insertionis in ramis decurrente, sursum latiora, plerumque integerrima, aut

hinc inde minutissime serrulata, raro dente uno alterove productiore notata, margine revoluta, imprimis subtus in nervo mediano et ad margines strigoso-pilosiuscula, aut deinde asperula; foliorum axillae haud barbatae; pedunculi ad ramorum apices axillares et terminales, hinc racemosi. Corolla interne pilis longis, squarrosis hirta, villosa, barbata, coerulea. Stigmatis indusium rectum, cupuliforme, margine pilis erectis, albidis, longis, densissimis, ciliatum; fructus desunt.

19. M. REVOLUTA. (†)

Suffruticosa, erecta, ramosa, diffusa, dense cinereo-lanata; foliis sessilibus, oblongo-lanceolatis, cuneatisque, revolutis; spica gracili, elongata, floribus remotis, vel in apicibus ramorum congestis; bracteis lanceolatis, linearibus; calycis limbo obsolete-crenato; ovario biloculari.

M. revoluta *de Vriese Anal. Gooden. II.* 60.
Sc. » *Br. l. c.* 586. *de Cand. VII.* 510. »*Habitat Nov. Holl. intra tropicum.*"

Nov. Holl. spec. Ferd. Bauer. (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*). Vidi spec. Auct. in Mus. Parisiensi.

Speciei character et hic quoque in foliis cum resideat, haecce organa paulo fusius describam. Sunt igitur folia copiosa, sparsa, obovato-oblonga, aut oblongo-lanceolata, basin versus longe attenuata, 0,026-0,030 longa, 0,006-0,08 lata, in fertilibus angustiora et summa quoque breviora, integerrima, in margine revoluta, utrinque densissimo tomento incano villosae; foliorum axillae pilis candidis, fasciculatis barbatae; spicae terminales, cylindricae. De reliquis organis, quippe in plurimis consimilibus, iis quae jam de aliis speciminibus sunt allata, et quia in his non est character specificus, non est quod dicamus.

Descriptio specim. Preissiani:

Suffrutex erectus, humilis (?), ramosus, 21-15 cntr. altus; rami 17-8 cntr. longi, erecto-patentes, apice spiciferi, saepeque 2-3-fidi, steriles robustiores, fertiles tenuiores, dense antrorsum rufo-pubescentes; folia copiosa, sparsa, obovato-oblonga aut oblongo-lanceolata, basin versus longiter attenuata, 26-30 mllm.

longa, 6—8 mllm. lata, in sessilibus angustiora et summa quoque breviora, integerrima, in margine revoluta, utrinque densissime antrorsum tomento incano villosa, foliorum axillia pilis candidis, fasciculatis barbatae; spicae terminales, primae congestae, cylindricae, 18 mllm. longae, dein elongatae, ad 5 cntm. longae, imbricatim bracteatae; bracteae basi lata acuminatae, ovato-lanceolatae, persistentes, minus quam folia pilis antrorsis obtectae, in axillis autem pilorum candidorum fasciculum foventes, 4-5 mllm. longae, 2 mllm. latae; bracteolae binae collaterales bractea sustinente paulo tantum angustiores et minores eique conformes; flores intra bracteas cum bracteolis axillares, inter villos longos solitarii, sessiles; calyx pro ratione floris minutus, vix dimidium mllm. longus, cylindricus, totus fere germini adnatus; limbi lobis obsolete crenatis; corollae calyce multoties major, 9 mllm. longa, erecta, apice autem, tota coelum versus longitudinaliter fissa, decidua; tubus 4 mllm. longus, intus villis totus farctus, extus glabriusculus; limbus profunde 5-partitus; laciniae lineari-laneeoletae, trinerviae, dorso pilis antrorsis, candidis, splendentibus tectae et praeprimis apice pilorum fasciculo minuto praeditae, intus glabriuscula; stamina 5, parva, stigma attingentia; stylus e fissura corollae erectus, exsertus, tenuis, glaber, filiformis, 6 mllm. longus; stigmatis indusium dense ciliato barbatum; fructus intra bracteam bracteolasque binas pilorum fasciculum axillarem reconditus, sessilis, obverse pyramidali-oblongus, 25 mllm. longus, cinerascens, glaber, longitudinaliter elevato-costatus, verruculoso-rugosus, apice calycis limbo rudimentario coronatus, indehiscens, abortu 1-locularis, monospermus; semen totum fructum implens, conforme.

20. M. ANCHUSAEFOLIA. (†)

Suffruticosa, prostrata, adscendens, hispida; foliis linearibus, lanceolatis, oblongo-spathulatis, margine recurvis, superioribus bracteisque linearibus, integerrimis; spica simplici vel paniculata, densa; calycis limbo obsoleto vel subcrenato; corolla rugosa, coerulea, interne pilosa; nuce costata, rugosa, biloculari.

M. Anchusaefolia *de Vriese Anal. Gooden. II.* 61.
Seaevola » *Benth. in Hugel. Enumeratio p.* 68. *de Cand. VII.* 510.

Scaevola lanceolata *Benth. l. c.* 69. *de Cand. VII.* 510.
» sphaerocarpa *de Vriese et*
» holosericea *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. p.* 409.
» canescens *Benth.*? 69.

Comparatis inter se plurimis speciminibus, quae antea videre mihi non licuisset, jam has varietates admittendas esse censeo.

α. *lanceolata*, foliis lanceolatis, subintegerrimis, glabris.

β. *sphaerocarpa*, foliis oblongo-spathulatis, densissime pilosis.

γ. *holosericea*, foliis obovato-lanceolatis, holosericeis.

Fructum *vere* 4-locularem esse dubito; contra sunt duo loculi *spurii*, et duo *seminiferi*.

Ad flum. Cygn. Spec. Hugelii (Herb. Vindob.).

Ex eadem statione in Herbariis pluribus aliis (Hook. Lindl. Delessert cet.).

Herb. Preis. n°. 1513.

Specimina inter se comparata haec fere obferunt.

Est species suffruticosa, prostrata, adscendens, hispida; rami nunc simplices, nunc ramosi, 0,3°-0,4° longi, pennae anserinae crassitiem obferentes, angulati, per desiccationem sulcati, virides, pilis patentibus, densissimis hispidi; ramuli (si adsunt) multo tenuiores et graciliores, erecti, omnes apice spiciferi; folia anguste oblongo-spathulata, nunc obovato-lanceolata, acuta, basin versus in petiolum ima basi dilatatum, semi-amplexicaulem longe-attenuata, 0,05-0,07 longa, 0,005-0,01 lata, margine revoluta, nunc subintegerrima, nunc argute sed breviter serrata aut serrulata, utrinque pilis densis hispidis aut hirta; folia ramorum aut superiora multo angustiora et minora, lineari-obovata, aut linearia, 0,02-0,04 longa, 0,002-0,004 lata, in bracteas sensim transeuntia; bracteae superiores convolutae, fere filiformes, 0,015 longae, basi latiusculae, persistentes, bracteolae collaterales, binae angustiores, erectae, persistentes, uti tota planta hispidae; flores solitarii, in axillis foliorum brevi pedunculati, omnes simul spicam multifloram efficientes; corolla magna, coerulea; germen 4-loculare; stigmatis cernui indusium pilis albidis longe-ciliatum; fructus axillares, solitarii, subglobosi, apice umbilicati et limbo calycis coronati, longitudinaliter leviterque costati et inter costas tuberculis et foveolis alternantibus valde rugosi, lignosi, suberosi, indehiscentes, pseudo-4-loculares, dispermi; semina in omnibus speciminibus immatura, vel in aliis abortiva.

21. M. GLANDULIFERA. (†)

Suffruticulosa, ramosa, erecto-pilosa, pilis ramorum et foliorum longis, basi saepius tuberculosis, apice glandulosis, rhacheos et bractearum brevibus apice glandulosis; foliis lineari-lanceolatis, acutis, basi attenuatis; spicis elongatis; bracteis lineari-lanceolatis, corollae tubo vix brevioribus; bracteolis linearibus, brevibus; calycis limbo obsoleto; corolla intus extusque sparse hispidula; stylo et indusio barbato; fructu apice sub tuberculato, biloculari.

M. glandulifera *de Vriese Anal. Gooden. II.* 62.
Sc. „ *de Cand. VII.* 510.
„ rufa *de Vriese in Lehm. Pl. Preiss. I. p.* 405.

Nov. Holl. ad flum. Cygn. Drummond. Preiss. (*Mus Caes. Vnd. Herb. Hook. Herb. Preiss.* 1513).

Suffrutex humilis, totus quantus pilis basi crassis, acuminatissimis, 0,002 longis, patenti-erectis, antrorsum curvatis hirtus; rami teretes, subangulati, demum glabrati; folia lineari-lanceolata, acuminata, basin versus longe-attenuata et ima basi semi-amplexicaulia, nunc integra, aut integerrima, hinc inde plus minus inciso-serrata, crassa, 0,037-0,025 longa, 0,004-0,002 lata, nervo medio atque crasso percursa, simul ac rami pilis patentibus, rufis setoso-hirta, summa in bracteas sensim transeuntia; flores in axillis bractearum ac bracteolarum solitarii, sessiles; calycis limbus fere obsoletus, vix ullus; stigmatis indusium nutans, pilis albidis obsessum, canum, in margine densissime sericeo-ciliatum, pilis dimidiam indusii longitudinem aequantibus; fructus desideratur.

22. M. LINEARIS. (†)

Suffruticosa, adscendens, ramosissima, scabra, pilosa; foliis coriaceis, linearibus, sursum latioribus, nonnumquam recurvis, vel strictis, cauli accumbentibus; spicae plurimae, elongatae; floribus remotis et aggrega-

tis; fructu globoso, apice calycis limbo coronato, uniloculari, monospermo.

M. linearis *de Vriese Anal. Gooden. II.* 62.
Sc. » *Br. prodr. p.* 586. *de Cand. prodr. VII.* 510.

Variat: foliis latioribus.

Nov. Holl. Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vindob. Herb. Delessert*). Herb. Mus. Parisiensis habet plurima specimina e Nov. Hollandia, inter quae etiam sp. Auctoris.

Sunt folia alterna e basi latiori angustata, linearia, acuta, coriacea, margine integerrima, recurva, 0,015-0,024 longa, 0,001 latitudine vix excedentia, stricta, erecta, basi subamplexicaulia, setoso-hirta; spicae terminales, in ramis 0,02 longae, demum elongatae, 0,06-0,07 longae, bracteatae; flores in axillis bractearum bracteolarumque solitarii, sessiles, erecti, nunc remoti, versus apicem spicae densiores; calyx valde brevis, vix 0,001 longus, totus germini adnatus; corolla externe setoso-hirta, interne glabriuscula; reliqua fere ut in speciebus antecedentibus; fructus 1-loculares (abortu?), monospermi; semen fructui conforme (haud bene evolutum).

23. M. PALUDOSA.

Suffruticosa, erecta, ramosa, scabra, adpresse-pilosa; foliis lanceolatis, oblongo-lanceolatis, pauci-dentatis, spicas axillares longe superantibus; ovario monospermo.

M. paludosa *de Vriese Anal. Gooden. II.* 63.
Sc » *Br. prodr.* 586. *de Cand. VII. p.* 54.

In Novae Holl. ora meridionalis, Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vindob.* spec. incompletum).

K. G. S. (Port. Reg. Georg.) *Baxter* (*Herb. Hook.*)

In postremis speciminibus haec vidi notatu digna:

Folia erecta, rigida, angusta, lineari-oblonga, aut lanceolata, 0,03—0,65 longa, 0,003—0,007 lata, basi semi-amplexicaulia, apice acuta, aut leviter attenuata, subintegerrima, margine subrevoluta, utrimque (imprimis in juventute) pilis adpressis scabrido-hirta, asperula, rugosa; stigma magnum, ad indusii marginem tenuissime ciliolatum; fructum non vidi.

24. M. ANGULATA. (†)

Suffruticosa, erecta, caule ramisque angulatis, glaberrima, vel pilosa; foliis sessilibus, oblongo-lanceolatis, mucronatis, subdentatis; bracteis lanceolatis, integerrimis, strictis; calyce 5-dentato; corolla ad faucem pilosa; ovario biloculari; stylo glabro; stigmatis indusio ciliato.

M. angulata *de Vriese Anal. Gooden. p.* 64.
Sc. » *Br. p.* 586. *de Cand. VII.* 511.

Hab. Nov. Holl. inter Tropicum et Carpentariam. Nov. Holl. spec. Brownei (ab Auctore datum), et spec. Ferd. Baueri (in *Herb. Mus. Caes. Vindob.*). Port Macquerie. p. Bachover. 1836. (*Herb. Hook.*)

Caulis et rami sunt triquetri, aut versus apices angulati, sulcati, glaberrimi, solummodo in prima evolutione puberuli; folia sunt sessilia, in angulos caulium aut ramorum subdecurrentia, fere semi-amplexicaulia, erecta, aut erecto-patentia, oblongo-lanceolata, acutiuscula, apice saepe mucronulata, hinc inde dente uno alterove praedita, 0,05 longa, 0,013 lata, versus apicem ramorum anguste-, immoque lineari-lanceolata, utrimque attenuata, apice acuminata, integerrima, 0,015-0,025 longa, 0,003-0,005 lata, omnia firma, coriacea, margine subrevoluta, utrinque glaberrima. Stigma incrassatum, indusium glabrum, imberbe. Fructus desideratur.

25. M. LONGIFOLIA. (†)

Herbacea, carnosula, adpresse-pilosa; foliis radicalibus longissimis, decurrentibus, spicas dense lanatas longitudine aequantibus; foliis caulinis brevioribus, lineari-lanceolatis, omnibus subdenticulatis; bracteis

hirsutis; bracteolis minimis; gemmis floralibus valde lanatis; calyce 5-dentato, dentibus longioribus; corolla interne et externe pilosa; stylo glabro; indusio ciliato.

Sc. longifolia *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 410.

In solo limoso ad Vassé-River, Sussex. Preiss. n°. 1472.
Nov. Holl. Drummond (*Herb. Hook.*).
» » » (*Delessert, Herb. Caes, Vindob.*).

Tota planta fere pedalis, folia radicalia fere 0,25 longa, basi angusta, linearia, decurrentia, revoluta, sursum vero dilatata.

Haec species facile ab omnibus aliis hujus generis, immo ab omnibus plantis Goodenovieis dignoscitur longitudine foliorum; qui character omnem amplam descriptionem supervacaneam facit.

26. M. HUMIFUSA. (†)

Caule herbaceo, humifuso, ramoso; foliis rosulato-fasciculatis, obovato-oblongis, acutis, scabriusculis (ex desiccatione?), axillis longe-lanatis; floribus axillaribus, anguste bracteatis; calycibus longe-laciniatis, hispidis; corollis externe et interne villosis; stylo glabro; stigmatis indusio ciliato; fructibus perexiguis, subbilocularibus.

Sc. humifusa *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 410.

Crescit in solo limoso ad Avon-River. Herb. Preiss. n°. 1480.

Flores sunt lilacini. Folia 0,005 longa. Ex habitu et foliorum dispositione facile dignoscenda. Huic omnino vicina est

27. M. DEPRESSA.

Prostrata, foliis radicalibus e basi lineari-obovatis, valde elongatis, convolutis, pilosissimis, omnibus adpressis et inter se confusis; spicis

brevibus, bracteatis; bracteis linearibus; calycis laciniis linearibus; corolla parva, villosa; stigmatis indusio interne villoso; fructu drupaceo, costato, piloso, 4-loculari; loculis duobus seminiferis, duobus sterilibus.

Sc. depressa *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 410.

Nov. Holl. Legit Preiss. (*Herb. n°.* 1502—1505).

Folia 0,01-0,03 longa, basi et medio linearia, apice latiora, acuta, quandoque induplicata.

Foliis, habitu, fructu facile dignoscenda.

An ad hoc quoque genus pertineant *Sc. Drummondi, Sc. Cunninghami, Sc. polystachya* a Candolleo propositae, magis suspicari quam certo effari licet. Dictas species videre non licuit. An fortasse nonnullae species a nobis propositae Candolleaneis illis synonymae sint, non effari audeo.

In Museis quas Illustr. Auctor citavit ejusdem determinationes adscriptas non vidi.

28. M. MOLLUGINEA.

Humilis, caespitosa, foliosa, procumbens, ramosa; foliis anguste-obovato-spathulatis, aut lineari-lanceolatis, acutis, acuminatis, basin versus longe attenuatis, erectis, patentibus, glaberrimis, integerrimis, minoribus fasciculatim in axillis foliorum congestis, inter lanam densam, candidam, pulvinum efformantem, e pilis simplicibus, tenuissimis, densissimis, intertextis compositam, copiosam nidulantia; flores in tali lana reconditi terminales, erecti, externe sericei; calyx totus germini adnatus; corolla interne dense albo-cinereo-lanata; stigmatis nutantis indusium latum, margine minute ciliolatum.

Flum. Cygn. Drummond. 1843. (*Herb. Hook.*)

Folia 0,007-0,012 longa, 0,001-0,002 lata. Tota planta 0,1-0,15 longa, pusilla, lana alba, longa, facile ab omnibus aliis Goodenovieis dignoscenda.

Descriptio specim. Drummondii.

Herbae humiles, caespitosae, foliosae, procumbentes, ramosae; rami perbreves, densissime foliis obtecti, singuli tantum adscendentes, erecti; 2—10 cntm. longi; folia anguste obovato-spathulata aut lineari-lanceolata, acuta aut acuminata, basin versus longe attenuata, 12-7 mllm. longa, 2-1 mllm. lata, erecta, patentia aut flaccida, glaberrima, integerrima (succulenta (?), siccando rugulosa); minora subfasciculatim in axillis foliorum congesta inter lanam densam candidam, pulvinum formantem, e pilis simplicibus tenuissimis, densissimis, intertextis compositam. sat copiosam nidulantia; flores in ramulis hisce valde abbreviatis minute foliatis, inter lanam reconditis terminales, erecti, 8 mllm. longi, pilis minutissimis extus sericei; calyx pro ratione floris minutus, 1 mllm. longus, teres, totus germini adnatus; limbus liber, nullus; corolla erecta, toto dorso longitudinaliter fissa, intus densissime albescenti-cinereo-lanato-tomentosa; limbus unilateralis, 5-fidus; laciniae lineares, 5 mllm. longae, ala tenerrima glaberrima, margine crispato-undulata cinctae, apice mucronulatae; stamina 5 tenerrima, erecta, libera, e fissura corollae cum stylo exserta, 3 mllm. longa, stricta; antherae erectae, terminales lineari-oblongae, 1 mllm. longae, apice truncatae, marginatae, stigma attingentes; stylus 4 mllm. longus, ad limbi corollae incisuram tangens, erecto-adscendens, apice incurvus, pilis patentibus tenuibus hirsutus, sat firmus; stigma nutans, crassum; indusium latum, hemisphaericum, margine minute ciliolatum; fructus desiderantur.

29. M. MYRTIFOLIA.

Fruticosa, erecta, ramosa; ramis teretibus, flavescenti-viridibus; foliis elliptico-lanceolatis, oblongis, brevi-petiolatis, utrinque acutis, integerrimis, glaberrimis, erecto-patentibus; pedunculis axillaribus, foliis multo brevioribus, sub flore bibracteatis, bracteis flori acute adpressis; calyce cylindrico, tubo germini adnato; corolla externe glaberrima, interne ad faucem pilis densis farcta; stylo exserto, stigmate pendulo; fructu crustaceo, cylindrico-oblongo, costato, badio, apice limbo persistente coronato, 4-loculari, monospermo.

„S. W. Australia. Drummond" 263. (*Herb. Hook.*)

Frutex glaberrimus, gracilis, habitu myrtoideo, foliosus, ramosus. Specimen herbarii Hookeri est 0,3 longum; sunt rami teretes, e flavo-virescentes. Folia sunt 0,03-0,05 longa, 0,011 lata, utrinque acuta, glaberrima, integerrima, erecto-patentia. Bracteae sunt angustissime lineares, acuminatae, 0,004-0,006 longae, vix 0,001 latae, persistentes, glabrae; flores bracteas longe excedunt, sunt 0,015 longi, erecto-declinati; calycis limbus est minute-5-dentatus, dentibus rotundatis. Corollae limbus est 5-fidus, unilateralis, ad margines laciniarum undulato-crispus, ibique pilis raris, patentibus, albidis ciliatus, 0,005-0,006 longus, transverse 0,01 latus; stamina quinque, erecta, tenuia, 0,005 longa, filamenta tenuissime filiformia, flexuosa; antherae terminales, continuae, lineari-oblongae, basi attenuatae, styli dimidiam longitudinem aequantes; stylus erectus, e fissura tubi corollae exsertus, rectus, 0,009 longus, pilis patentibus, raris, hirsutus; stigmatis indusium ipsius stigmatis duplicem habet latitudinem, est pallidum, ad marginem dense niveo-ciliato-barbatum. Semen immaturum erat.

Atque hae sunt Merkusiae (Auctorum *Scaevolae*) quas mihi licuit examinare. Quinque sunt species quas videre nondum licuit, et de quibus idcirco non tuto licet effari, utrum huc an vero ad Molkenboeriam, referri debeant. Praeterea etiam fieri potest, ut Candolleanae sint synonymae specierum aliarum. Hoc valet de *M. (Sc.) Drummondi*, *polystachya*, *Cunninghami*, *fasciculata*.

Species Browneanae de quibus effari non possum sunt *S. nitida* et *aemula*, de quibus vid. prodr. p. 584. Has autem non nisi ex conjectura huc possumus referre et ideirco ad calcem hujus generis disponimus.

30. M.? NITIDA.

Fruticosa, erecta, glaberrima, foliis ellipticis, argute dentatis, bracteis subtendentibus passim dentatis, corollis extus glabris; marginibus supra stylisque villosiusculis.

S. nitida *Br. prodr.* 584.
» » *de Cand. prodr.* 509.

Ora mer. Nov. Holl.

31. M.? AEMULA.

Herbacea, erecta, foliis cuneatis obovatisve dentatis, glabriusculis, spica simplicissima; bracteis subtendentibus, lanceolatis, subintegris, calyce lobato, stylo infra glabro; apice hinc barba stricta (colorata) indusium aequante, ovario biloculari.

S. nitida *Br. l. c.*
» » *de Cand. l. c. cum praecedente.*

32. M? DEPAUPERATA.

»Erecta, ramosissima, ramis alternis; ultimis oppositis, divaricatis, foliis minimis sublinearibus; ramorum alternis, ramulorum oppositis, pedunculis e dichotomiis ramulorum solitariis unifloris."

Scaevola depauperata *Br. in Bot. Appendix of Capt. Sturts Exped. into central Australia, p.* 20.

Nov. Holl. in salsis, in lat. 26° 3. D. Sturt. »Descr. Auctoris: herbacea, vix suffruticosa, adulta glabriuscula, erecta, ramosissima Rami ramulique angulati, ultimi oppositi, indivisi, divaricati, apice diphylli, foliis minimis et rudimento minuto floris abortivi. Folia sessilia, linearia, acuta, brevissima, ramos subtendentia alterna, ramulis ultimis brachiatis opposita. Pedunculi e dichotomiis ramulorum ultimorum penultimorumque solitarii, uniflori, ebracteati. Calyx: limbo supero, quinquepartito, laciniis lineari-lanceatis, aequalibus, pubescentibus. Corolla: tubo hinc ad basin usque fisso; limbo unilabiato, 5-partito; laciniis lanceolatis, aequalibus, marginibus angustis, induplicatis, externe, uti tubus pubescentibus, interne glabris, trinerviis, nervo medio venoso. Stamina: filamenta distincta, anguste linearia, glabra, axi incrassata; antherae liberae, lineares, imberbes, basi affixae, loculis longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium biloculare? loculis monospermis, ovulis erectis. Stylus cylindraceus, glaber. Stigmatis indusium margine ciliatum et extus pilis copiosis, longis, strictis, acutis, albis tectum vel cinctum."

Specimen non vidi.

VII. AILLYA.

Inflorescentia subumbellata, terminalis, involucrata; *calyx* in flore inferus, fere ad medium tubo monophyllo constitutus, inde in limbum quinquefidum partitus, laciniis lanceolatis, in fructu semi-superus, laciniis nempe membrana tenui interposita, ad medium usque vel saepe ad apicem fructus producta junctis, et ultra hanc linearibus; *corolla* monopetala, tubo vix ad basin usque per longitudinem fisso, interne glabro, limbo quinquelobo, lobis alatis, medio in dorso pilosis, apice profunde emarginatis; *antheris* liberis; *stylo* staminibus longiore; *stigmatis* incurvi indusio ab interiore parte (qua corollam spectat) impresso, fere bilobo, ad marginem dense albido-ciliato; *capsula* calyce coronata, bivalvis, valvis membranaceis vel corneis, concavis, pellucidis, per totam longitudinem dehiscentibus; dissepimento vix ad tertiam partem longitudinis fructus pertensum, falciforme, pellucidum. Semina non vidi.

Plantae Novae Hollandiae ad Flumen Cygnorum, caulibus tenerrimis, floribus subumbellatis, flavis; foliis linearibus vel lineari-lanceolatis; involucellis ad basin radiorum linearibus.

Dicavi genus novum, olim a me ad Scaevolas relatum, Viro optimo, vere docto, chymicae, zoologicae, botanicae et pharmacologicae disciplinae indefesse studioso, Antonio Johanno d'Ailly, pharmaceutae, dum in vivis erat, Amstelodamensi, multorum scriptorum et vero codicis pharmaceutici recenter in lucem emissi una cum aliis auctoris.

Tab. XIII. 1. Ramus florifer. 2. Flos apertus. 3. Antherae. 4. Stylus et stigma. 5. Flos per longitudinem sectus. 6. Fructus cum calyce. 7. Idem, quo monstretur insertio staminum. 8. Fructus ab interiore visus, ablatis seminibus. 9. Semen.

1. AILLYA UMBELLATA. (†)

Caule filiformi; foliis radicalibus rosulatis, linearibus, lanceolatis, elongato-spathulatis; caulinis filiformibus, linearibus, lineari-lanceolatisve; floribus omnibus terminalibus, vel paucissimis axillaribus; pedunculis filiformibus, elongatis; calycibus quinque-dentatis, pilosiusculis; corollis flavis; stylo barbato; stigmate ciliato; capsula biloculari (reliq. uti in generis diagnosi).

Scaevola umbellata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 411.

In humidis umbrosisque prope urbiculam Perth. Herb. Preiss. n° 1435*a*, 1450*b*.

Sequentes vero inter specimina Preissiana admitto varietates:

α. *procumbens*, caule humiliore procumbente, tota planta villosiuscula. Herb. n°. 1451.

β. *denticulata*, foliis caulinis denticulatis n°. 1428.

γ. *spathulata*, foliis oblongo-linearibus, spathulatis. n°. 1430.

Folia caulina alia sunt lanceolata, alia filiformia. Pedunculi 10-20; fructiferi saepe declinati.

Quae in Herb. Mus. Caes. Vind. vidi specimina, ea fere omnia ejusdem sunt originis.

Synonymia Scaevolarum ab Auctoribus propositarum.

1. *Browneanae* et *Candolleanae*, *cet.*

1. *S. Koenigii* Vahl. 2. *S. Taccada* Roxb. 3. *S. Bela-Modagam* R. et Sch. 4. *S. velutina* Presl. 7. *S. Leschenaultii* de Cand. 12. *S. Plumierii* Vahl. — *S. Lobelia* L. herb. 6. *S. velutina* Presl. — *S. sericea* Forst.

8. *S. mollis* Hook et Arn. bot. Beech. 9. *S. tomentosa* Gaud. 10. *S. Chamissoniana* Gaud. 11. *S. ciliata* Don. 15. *S. Menziesiana* Cham. 17. *S Gaudichaudi* Hook. et Arn. (non Cham). — *Temminckia* de Vriese.

S. *aemula, nitida, depauperata* Br. An *Merkusiae*?

18. *S. glabra* de Vriese — *Camphusia de Vriese.*

50. *S. pilosa* Benth. 51. *S. membranacea* Benth. 30. *S. semi-amplexicaulis* de Cand. 53. *S. striata* Br. 48. *S. macrodonta* de Cand. 31. *S. macropoda* de Cand. 52. *S. calliptera* Benth. 57. *S. grandiflora* Benth. — *Molkenboeria* de Vriese.

20. *S. crassifolia* Labill. 21. *S. globulifera* Labill. 24. *S. Thesioides* Benth. 27. *S. attenuata* Br. 29. *S. ovalifolia* Br. 34. *S. sinuata* Br. 35. *S. humilis* Br. 36. *S. microcarpa* Cav. 37. *S. pallida* Br. 38. *S. suaveolens* Br. 39. *S caespitosa* Br. 40. *S. revoluta* Br. 41. *S. Anchusaefolia* Benth. 43. *S. glandulifera* de Cand. 45. *S. linearis* Br. 46. *S. paludosa* Br. 47. *S. angulata* Br. 42. *S. lanceolata* Benth. 44. *S. canescens* Benth. — *Merkusia* de Vriese.

54. *S. spinescens* Br. 55. *S. Oleoides* de Cand. 55. *S. Lycioides* de Cand. —

2. *Lindlejanae, Preissianae.*

108. *S. multiflora* Lindl. - *Merkusia* de Vriese.

110. *S. platyphylla* de Vriese. - *Molkenboerea* de Vriese.

111. *S. squarrosa* Lindl. — *Merkusia* de Vriese.

1. *S. geniculata* de Vriese — *Goodenia.* 2. *S. rufa* de Vriese. 3. *S. lyratifolia* de Vriese — *Merkusia.* 4. *S. Candollei* de Vriese — *Molkenboerea.* 5. *S. prostrata* de Vriese. 6. *S. repens* de Vriese. 8. *S. fastigiata* de Vriese — *Merkusia.*

10. *S. trinervis* de Vriese — *Euthales.*

11. *S. flaccida* de Vriese. 12. *S. paniculata* de Vriese. 13. *S. holosericea* de Vriese. 14. *S. stricta* de Vriese. — *Merkusia.* 15. *S. pterosperma* de Vriese. 16. *S. revoluta* Br. — *Merkusia* de Vriese.

17. *S. Reinwardti. Dampiera.* 18.

S. tenera de Vriese. — *Goodenia.* 18.

S. sphaerocarpa de Vriese. 19. *S. longifolia* de Vriese. 21. *S. glaucescens* de Vriese. 22. *S. humifusa* de Vriese. 23. *S. depressa* de Vriese. — *Merkusia.* 21. *S. Benthamea* de Vriese, — *Molkenboeria* de Vriese.

26. *S. umbellata* de Vriese. — *Aillya* de Vriese.

Species plane dubiae:

S. oppositifolia Roxb. fl. ind. 2. p. 148.

S. Tournou Willd. (Cfr. flor. flum. 2. t. 73—74).

VIII. DAMPIERA.

Calycis limbus abbreviatus, obsoletus, aut in corollae dorsum productus et ibi adnatus, ita ut fere unum organon cum eadem faciat. Corolla bilabiata, tubo hinc fisso, labii superioris laciniis margine interiore auriculatis. Antherae arcte cohaerentes, imberbes. Stigmatis indusiumore nudum vel ciliatum. Nux crustacea.

Plantae sunt suffruticosae, vel herbaceae, perennes, pubescentes, pilis saepe difformibus, longioribus, in plerisque ramulosis, plumosis, stellatisque. Folia sunt alterna, indivisa, membranacea, coriacea, integerrima. Bracteae sunt parvae, vel nullae. Corolla est coerulea, purpurea, 5-partibilis, unguium marginibus inflexis, laminis externe in medio hirsutis, decidua, basi integra et persistente. Stamina post lapsum corollae persistunt. Pollen est globosum.

Auctor dixit in memoriam Guilielmi Dampier, navarchi et peregrinatoris, assidui in itineribus naturae observatoris, qui bis Novae Hollandiae oram occidentalem visitavit et plures plantas inde reportavit.

Rob. Brown prodr. p. 587. Roem. et Schult. V. 884. Juss. et Rich. ann. Mus. XVIII. p. 1—18. Benth. enum. plant. ad Nov. Holl. oram Austro-occidentalem ab Hugelio lectarum. Vind. 1837. de Cand. prodr. VII. 502—4. Lindley Swan-River. Col. App. bot. Reg. XVI. 1836. de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I. 400. Idem. in Nederl. kruidk. Arch. II. ibique Anal. Goodenoviearum I. II.

1. D. HEDERACEA.

Herbacea, procumbens, rufo-plumoso-pilosa; foliis petiolatis et sessilibus, subcordatis, angulatis, sinuatis, dentatis, repandis, utrinque pilosis, adultis vero in facie superiore glabris; bracteis parvis, ovatis, subintegris; floribus 1—2 axillaribus terminalibusque, longissime pedunculatis, externe fusco-pilosissimis.

D. hederacea *Br. prodr.* 588.
» » *de Cand.* » *VII.* 503.
» » *de Vriese Anal. Good. p.* 7.

Ad flum. Cygnorum Drummond (*Herb. Mus. Caes. Vindob. n°.* 143 *et* 148. *n°.* 188. *anno* 1845).
» Sinum Regis Georgii (*Herb. Hook.*).

Rhizoma lignosum; fibrae radicales tenues, lignosae. Caulis angulatus, lignosus, procumbens, ramis adscendentibus, tenuibus, flexuosis, longissimis, laxis. Planta tota est pilosissima; petioli sunt breves vel nulli; folia sunt coriacea, basi cordata, subcordata, rotundata, truncata, immo nonnumquam subhastata, apice obtusa, nonnumquam subretusa, margine subrevoluta, angulata, utroque in latere uni-, grandi- et obtuse-dentata vel edentata, subsinuata, repanda, fere trinervia, nervo medio crassiore, lateralibus sensim evanidis, in dorso pilosissimis, facie superiore pilosis, demum glabris, 0,02-0,035 longis, 0,005-0,02 latis; pedunculi vel simplices sunt vel bifidi; simplices folio bis vel ter longiores; compositorum pedicelli bis vel ter bracteas ovatas, obovatas, integerrimas, vel bidentatas, vel obsolete-dentatas superantes; flores parvi (coerulei?), externe densissime pilosi, pilis (ut in reliquis organis ubi adsunt) plumosis, obscure fuscis; corolla parva, interne glabra; antherae cohaerentes; stigma indusiatum, subglobosum. Forma omnibus numeris major ea quam vidi in herb. Hookeri, lecto specimine ad flum. Cygnorum, fortasse possit constituere varietatem

α foliis majoribus, angulatis, grandius-dentatis.

2. D. TRILOBA.

Herbacea, erecta, glabra, caule trigono, inde a basi ramoso, ramis fere parallelis; foliis sessilibus, cuneatis, apice trilobis, 3-5-dentatis, sinuatis, terminalibus, congestis, omnibus utrinque glabris; pedunculis axillaribus, terminalibusque, simplicibus, brevibus, folia vix aequantibus; corollis externe sericeis, pilis flavis.

D. triloba *Lindl. Veget. Sw. Riv. Col. App. Bot. Reg. XXVII.*
» » *de Vriese Anal. Gooden. p. 7.*

Ad flum. Cygn. anno 1837 legit Comm. J. Mangles.
Vidi auctoris specimen (*Herb. Lindl.*).

Caule trigono, angulis acutis, tota planta glaberrima: foliis coriaceis, sessilibus, basi angustatis, cuneatis, margine integerrimo, apicem versus trilobis, vel grandidentatis et obtuse rotundato- vel acute-dentatis; aliis vix lobatis fere obsolete-dentatis, aliis tandem dentibus quinque instructis, 0,02-0,03 longis, 0,01-0,015 latis; pedunculi breves sunt, axillares, minutissime bracteolati, fusco-sericeo-tomentosi; flores 2-3-ni, quorum plerumque unus plane excrescit, ad dorsum aurato-sericeus, interne glaber; corolla coerulea.

Affinis sequenti.

3. D. REPANDA. (†)

Herbacea, adscendens, multicaulis, basi teretiuscula, glabra, caulibus nodosis, sursum angulatis, lineatis, brevissime pilosis; foliis alternis sessilibus, obovato-cuneatis, sinuato-repandis, coriaceis, glabris, summis congestis; spicis axillaribus terminalibusque longe-pedunculatis, pedunculis ramosis, filiformibus, tomento fusco, simplici densissime et adpresse pilosis; bracteolis minutissimis, suboppositis, fere connatis, lanatis; floribus elongatis, corollarum tubis subtilissime barbatis, externe flavescentibus.

D. repanda *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 400.
» » » » *Anal. Good. p.* 7.

In arenosis ad rivulum inter urbiculas Guildforth et Perth m. Nov. legit Preiss. herb. n°. 1518.

Ad sinum Regis Georgii (*Herb. Delessert*) ubi haec specimini sunt adscripta: Côte de S. O. Nouv. Holl. Port du Roi Georges. n°. 3. 1803. In quo specimine folia maxima sunt, nempe 0,056 longa, 0,023 lata.)

New South Wales. Bargo-Brush. (*Herb. Hook.*)

Nov. Holl. merid. (*Herb. Mus. Caes. Vindob.* ubi in eadem charta sunt duae species, altera *D. repanda* nostra, *fastigiata* R. B. altera.)

Est radix lignosa, crassa, obliqua, repens?; nodi caulini laterales sunt valde incrassati; folia sunt articulatione affixa, ad insertionem et nervo medio dorsali partim rufo-tomentosa, tomento tamen caduco, laete viridia, 0,02-0,03 longa, 0,01 -0,015 lata. Adspectus plantae, propter colores cyaneos et aureos florum et laete viridem colorem foliorum, pulcherrimus.

Praecedenti speciei proxima. Diu haesitavi an species anno 1845 a me proposita, dum nulla mihi aderant comparationis subsidia, foret servanda. Nunc tamen non amplius dubito. Priori quidem affinis, immo proxima, attamen cum ab hac, tum a sequente diversa.

4. D. LANUGINOSA.

Herbacea, erecta, e basi multicauli, caulibus junioribus hirsuto-pilosis, demum glabrescentibus, angulatis, lineatis; foliis alternis, rarius verticillato-congestis, obovato-, oblongo-cuneatis, apice acutis vel obtusis, profunde sinuato-, aut inciso-dentatis, vel subserratis, albo-longe-pilosis, demum glabris; pedunculis axillaribus, terminalibusque, erectis, ramosis, paucifloris, dense-lanuginosis; floribus sessilibus, densissime pilosis, corolla coerulea.

Ad flum. Cygn. Legit. Drummond (n°. 127 *Herb. Hook.*)
Nov. Holl. Fraser. G. 70. K. G. S. (*Herb. Hook.*)

Postremo loco memoratum specimen sic describo.

Herbae erectae e basi multicipite; caules nunc toti simplices, nunc apice ramosi; nunc medio verticillatim ramosi, fere 0,3 longi, crassitie pennae corvinae, patentim hirsuto-pilosi, prima juventute lanuginoso-tomentosi, aetate provectiore deglabrati. Folia sunt plerumque alterna, hinc inde verticillatim congesta, rosulata, obovato-, s. lanceolato-, s. oblongo-cuneata, basi plus minus attenuata, sive 0,03 longa et 0,006 lata, sive 0,02 longa et 0,012 lata; apice acuta, sive obtusiuscula, sive subtruncata, omnia quodammodo profunde sinuato- aut inciso-dentata, vel quoque subserrata; primo stadio pilis albis longis instructa, vel tandem his mox caducis glabrata; pedunculi in ramis axillaribus, abbreviatis, oligophyllis erecti, terminales, pauciflori, aut in caulibus cum ramis verticillatim congestis plus minus elongati, ramosi, subpaniculati, fastigiati, dense (uti tota inflorescentia et praeprimis in bractearum crebrarum axillis) lanuginosi, erecti, 0,003-6 longi; pili axillarum erecti, candidi, dense congesti, 0,003-0,004 longi; bracteae oppositae, aut hinc inde alternae, erectae, lineari-lanceolatae, apice subfalcato-reflexae, acuminatae, pilis sparsis hinc inde obsessae, rarius subhirsutae, summae dense hirsutae, 0,006-0,009 longae, 0,001-0,002 latae; flores inter bractearum summarum axillas sessiles, denssime pilis longis, erecto-patentibus, candido-lanuginosi, 0,001 longi, erecti; calyx vix 0,002 longus, oblongo-ovatus, totus quantus germini adnatus, pilis longus obvallatus; calycis limbus fere nullus; corolla externe tota, exceptis tantum alis, obsessa pilis longis albidis, interne flavescens, in alis glaberrima, profunde tripartita; laciniae binae superiores simplices, integrae, breviores, 0,006 longae, labium superius, inferior trifida labium inferius obferentes, 0,008 longae; ala ad latus utrumque est coerulea, antrorsum sensum dilatata, inde truncato-cuneata; stamina 0,001 longa; stylus 0,003 longus, adscendenti-erectus, inter lacinias superiores receptus; stigma indusio albido cinctum. Fructus non vidi.

5. D. DRUMMONDI.

Herbacea, adscendens, multicaulis, caulibus angulatis, albo-tomentosa, nodosa; foliis radicalibus petiolatis, majoribus, cuneatis, spathulatisque; caulinis sessilibus, cuneatis, obtusis, apice quandoque bidentatis, utroque latere subexcisis vel subrepandis, dorso vel in utraque pagina tomentosis, tomento in superiore facie demum caduco; floribus longissime

pedunculatis, pedunculis filiformibus, fasciculatis et umbellatis, corollis in dorso niveo-tomentosis, interne coeruleis.

Anal. Gooden. p. 8.

Ad flum. Cygn. legit Drummond (*Herb. Hook.* n°. 37. suppl. 1845).

Rhizoma simplex, longum, flexuosum, fibris filiformibus instructum. Caules adscendentes, incurvati, subtomentosi, nodosi, ubi ex corolla exoriuntur in axillis valde lanati, ad nodos albo-tomentosi. Folia coriacea, radicalia maxima, integerrima, obtuse uninervia, 0,055-0,85 longa et 0,015-0,02 lata, glabra, coriacea; folia caulina multas formas obferentia, quarum tamen ea est frequentior quam in diagnosi commemoravimus; sunt vero obovata, subspathulata, tridentata, apice rotundata, summa subrhomboidea, omnia vero utrinque tomentosa, canescentia, sive pallide viridia, basi lanata, cauli accumbentia, 0,03-0,015; quae folia cingunt inflorescentias terminales, ea saepe sunt subverticillata. Flores laterales fasciculati, pedunculis aequalibus, elongatis, filiformibus, niveo-tomentosis, 0,03-0,04 longis, indefinitis; pedunculi terminales sunt subumbellati, subparalleli; flores parvi in dorso nivei, interne alisque coerulei; rami autem qui in flores haud desinunt, sunt foliis subrhomboideis vel vere rhomboideis oppositis, canescentibus instructi; antherae flavescentes, conniventes; stylus apice incurvus.

Affinis quod habitum attinet D. hederaceae, sed diversa, imprimis forma foliorum.

6. D. PROSTRATA.

Herba prostrata, glabra, ramosa, caule 4-alato, crasso, flexuoso; foliis obovatis vel obovato-lanceolatis, inferioribus subrotundis, summis oblongis; ramis apice dichotomis, floribus erectis, brevi-pedunculatis; bracteis linearibus, acuminatis, solitariis; calyce cylindraceo, limbo vix ullo, corolla magna, limbo patente, profunde tripartito, margine (e desiccatione?) undulato.

(Exclusis synonymis D. prostrata et diversifolia *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I. p.* 403.)

Australia Austro-occidentalis. Drummond (*Herb. Hook.* n°. 364).

Herbae robustae, glaberrimae; caules crassi, flexuosi; folia obovata, obovato-lanceolata, inferiora subrotundata, summa oblonga, 0,025 longa, 0,018 lata, aut 0,27 longa et 0,017 lata, margine minute repando-denticulata; rami apice dichotome ramosi, floriferi, flores in quoque ramo circiter 4-5-erecti, breviter pedunculati; bracteae ad dichotomiam ramorum lineares acuminatae, 0,002-0,003 longae, erectae, solitariae, nunc binae summae oppositae; alabastrum 0,011 longum, 0,002 latum, oblongo-cylindricum, griseo-coeruleo sericeum. Calyx minutus. Corolla comparatione calycis maxima, ampla, limbo patente, profunde tripartito, extus dense sericea, interne glabra, laciniae binae superiores minores simplices, tertia inferior profunde trifida, omnes supra medium alis amplis ad apicem instructae, indeque obovato-lineatae, margine undulatae, crispato-corrugatae.

7. D. UNDULATA.

Suffruticosa, ramosa, angulata, erecta, furfuraceo-tomentosa, foliis petiolatis, ovatis, obovatis, apice rotundatis, subundulatis, subrepandis, subdentatisve, subtus tomentosis, supra scabris; floribus axillaribus, pedunculatis; bracteis subrotundis; pedunculis saepe ramosis, ferrugineo-tomentosis; corollis externe nigro-plumosis, interne coeruleis.

D. undulata *Br. prodr.* 587.
» » *de Cand. prodr. VII.* 501.
» » *de Vriese Anal. Gooden. p.* 8.

Nov. Hollandia ad Port Jacks. (spec. *Herb. Mus. Caes. Vindob. Ferd. Baueri.*)
» » Cunningham. (ibid. spec. ipsius Inventoris 1837 ex herb. Lindleji oriundum).
» » ibid. *Herb. Delessert*, ubi lego: Mont bleues n°. 2. D. rotundifolia 134.)
» » ad fl. Cygn. Drummond (*Herb. Hook.*)
N. S. W. Argyle. Spec. W. Macarthur (*Herb. Hook.*) Sydney Byno (*Herb. Hook.*)

Omnia quae recensuimus specimina in maximo characterum numero inter se conveniunt; in nonnullis tamen quia differentias obferunt, generalis speciei adumbratio amplior requiritur, in quam omnia quae in specie illa videam admittuntur.

Est suffrutex gracilis, erectus, dense furfuraceo-tomentosus, postremo hinc inde glabratus, ramosus; specimina quae nobis obvia sunt, fere 0,10-0,42 longa, partim simplicia, partim ramosa, omnia floribus instructa; rami sunt teretes, tenues, stricti, (per desiccationem?) sulcati; folia alterna, erecto-patentia, deinde saepe patentissima, ovalia, ovali-oblonga, aut subrotunda, integerrima, aut leviter crenato-dentata, immoque sinuato-dentata, undulata, rarius tota plana, apice obtusa aut rotundata, rarius acutiuscula, supra punctulis crebris elevatis scabra, subtus molliter lanata, cum petiolo supra canaliculato et vix 0,003 longo, 0,01-0,03 longa, 0,016 lata, summa saepe valde diminuta et magis rotundata; pedunculi axillares, nunc foliis breviores, nunc eadem longitudine multum superantes, fere ad long. 0,08 producti, biflori aut bis bifidi, 4-flori, omnes eleganter tomentosi, et quidem tomento rufo obtecti aut lanati; pedicelli sub floribus pariter sed intensius etiam colorati atque tomentosi, 0,004-0,005 longi, erecti; bracteae ad pedunculi ramificationes perparvae, oblongo-lanceolatae, 0,002-0,003 longae, deciduae; flores erecti; alabastra obovata, apice rotundata, 0,007 longa, 0,003 lata, dense nigro-lanata, e pilis patentibus ramosis (nec plumosis), basi densissime intricatis, ramis plerumque irregulariter 2-4nis subverticillatis, apicem versus diminutis; calyx valde minutus, vix 0,001 longitudine excedens, tomento fusco rufo tectus; limbus calycis obsolete 5-lobus, patens; corolla erecta, bilabiata, 5-loba, tubus externe pilis ramosis nigris obtectus, 0,004 longus; staminum filamenta abbreviata, complanata, albida; antherae erectae, filamentis 3-4plo longiores, luteae, arcte cohaerentes, atque hinc tubum stylumque vaginantem formantes; germen calyci adnatum eoque minus, valde minutum; stylus staminibus multo major, robustior, hisque 3-4plo longior, 0,004-0,005 longus, apicem versus incrassatus, curvatus; stigma cernuum; indusium nec ciliatum, neque barbatum, sed nudum; fructus subdehiscentes, solitarii, crustacei, tomento fulvo lanuginoso obtecti, uniloculares, monospermi, 0,003 fere longi, loculi in his speciminibus inanes.

8. D. ROTUNDIFOLIA. (†)

Suffruticosa, ramosa, angulata, erecta, furfuraceo-tomentosa, foliis pe-

tiolatis, subrotundis, integris, planis, supra scabris, basi obtusis; pedunculis axillaribus vel ad apices ramorum brevibus, subcorymbosis; bracteis lineari lanceolatis; corollis externe nigro-barbatis, pilis ramosis, densis, interne coeruleis.

D. rotundifolia *Br. prodr.* 587.
» » *de Cand. prodr. VII.* 503.
» » *de Vriese Analect. Gooden. p.* 8.

Nov. Holl. Port Jacks. — Ibid. prope flumen Neapean, Gleenbrook. Rich. Cunningham. (*Herb. Hook.*)
» » » (*Herb. Mus. Caes. Vindob. e coll. Hugelii.*)
Nov. Holl. M. Busseuil Voy. de la Thetis. Capit. Bougainville. (*Mus. Paris.*)

Species in multis notis praecedenti similis. Maxima differentia haeret in foliis. Petioli sunt 0,002-0,003 longi, supra plani, subcanaliculati, erecti aut erecto-patentes. In aliis speciminibus folia omnia sunt exacte rotundata, vix basi paulo attenuata, margine integerrima, aut hinc inde paululum sinuata, margine plana, vix basi rotundata, aut paulo attenuata, 0,02-0,04 longa, 0,025 lata, omnia in facie superiore (ut in specie antecedente) punctulato-aspera, subtus dense furfuraceo-tomentosa; pedunculi ad apicem ramorum et ramulorum axillares, foliis longiores, bifidi, biflori, aut pedicellis iterum bifidis quadriflori, nunc valde elongati, subfastigiati, corymbum spurium efficientes, 0,012-0,055 longi, tomento denso fuscescente-rufo obtecti; bracteae 0,002-0,003 longae, pilis nigris ramosis, iis corollae conformibus, dense obtectae, adpressae. Corolla ut in praecedente specie. Fructus non vidi.

9. D. OVALIFOLIA. (†)

Suffruticosa, erecta, furfuraceo-tomentosa, foliis petiolatis, ovalibus, subintegris vel integerrimis, planis, supra scabris, glaberrimis, ad dorsum cano- vel furfuraceo-tomentosis; pedunculis 2-4-floris, axillaribus, folia subaequantibus, terminalibusque corymbosis; corollis externe nigro-barbatis, villis plumosis.

D. ovalifolia *Br. prodr.* 588.
» » *de Cand. VII.* 503.
» » *Rich. Dict. classique d'hist. nat. t.* 14. *excl. syn. Sieb.*

Variat haec species pluribus formis. Si typus esse potest figura, quam dedit clar. A. Richard l. c. tum ad hanc refero specimina sqq. a me visa.

Nov. Holl. Cunningham. (Spec. auctoris in *Herb. Mus. Caes. Vindobonensis* 1837. *ex herb. Lindl.*)
Ex eadem. (*Herb. Delessert.*)
» » Blue Mountains (*Herb. Hook.*)
» » Rocky.... Laud. country N. from Bathurst Nov. (*Herb. Hook.*)
» » Lady Pavoy, flor. purp. (*Hook.*)
» » *Mus. Paris.* c. 545. Mereton-Bay. N. Holl. 1847 Verreaux All. Cunn. Voy. Venus. 1839.

Ramosissima, 0,40-0,44 longa, rami juniores teretes, dense furfuraceo-tomentosi, deinde subglabrati, falcato-angulati; petioli parvi; folia ovalia, ovali-oblonga, oblonga, 0,035-0,015 longa, 0,015 lata, integerrima, aut in margine subsinuato-dentata, plana, rarius subundulata uti in duabus speciebus praecedentibus, supra punctulato-aspera, subtus dense tomentosa; pedunculi ad ramorum apices axillares, foliis multo longiores, vel folia subaequantes, terminales, corymbosi, 2-3-bifidi, bracteae ad pedicellorum divisiones lineares, acuminatae, 0,003 0,004 longae, vix 0,001 latae, dorso pilis nigris, ramosis tectae; flores sessiles, externe nigro-pilosi; calyx brevis, subglobosus, 0,002 longus; corollae laciniis glaberrimis.

10. D. MELANOPOGON.

Suffruticosa, ramosa, glabra, foliis brevi-petiolatis, ovatis, obovatis, ellipticis, integris, obtusis, scabris, glabrisque; pedunculis axillaribus folio multo brevioribus, 2-3-floris, vel corymbosis, elongatis, ramosis, multifloris; corollis externe nigro-barbatis, coeruleis.

D. melanopogon *Br. mss.*
» omissa *de Vriese Anal. Gooden. p.* 8.

Nov. Holl. Port Jacks. (Portland-head)
Huc pertinet *D. ovalifolia* Herb. Sieb. n°. 227. Herb. Splitg. Argyle Paramatta. Spec. Hugelii (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*)
Sydney. Spec. Binoe (*Herb. Hook.*)
Nov. Holl. flum. Cygn. Spec. Herb. Splitg.

Olim hanc plantam sub nomine *D. omissae* indicaveram, quia eam inter alias species mixtam inveni, sed anno 1850 Ill. Brown, cum Lugduni-Batavorum degebat, mihi specimen obtulit, cui adscriptum est propria ejus manu nomen *D. melanopogon*. Hoc autem nunc praetuli nomine cujus nulla erat ratio, nisi omissionis.

Specimen auctoris sic describere liceat.

Suffrutex, caulis erectus, simplex, aut apice paniculato-ramosus, teretiusculus, (ex desiccatione?) anguste-sulcatus, ut rami dense furfuraceo-tomentosus, dein glabratus, lucidulus, 40-50-cent. longus, apice gerens corymbum, rami 0,016 longi, patentes, aut erecto-patentes; petioli alterni, patentes, breves, subtus carinosi, supra plani, 0,003-0,002 longi, dense tomentosi; folia ovata, ovalia, obovata, elliptica, immoque subrotunda, basi saepe paullo attenuata, apice obtusa aut rotundata, 0,032-0,016 longa, 0,022-0,011 lata, in margine subrevoluto integerrima, supra punctuloso-aspera, subtus densissime tomento brevi, intricato, fuscescente obsessa, quo caduco nuda; pedunculi axillares, breves, folio breviores, in apice caulis vero, ubi folia sunt minora, his longiores, 0,03 longi, elongati, corymbum constituentes 2-4 flori, dense tomento fusco, rufo, patenti obtecti; bracteae ad pedunculorum basin, uti etiam ad ramificationem et sub ipso flore parvae, 2 mill. longae, lineares, acuminatae, pilis bracteam longitudine aequantibus, vix ima basi ramulosis, acuminatissimis, nigris dense villosae; pili pedunculorum et calycis fusco-rufi, iis bractearum et corollae breviores, sed a basi jam ramosi, ramis 5-9 patentissime-squarrosis, longitudine totos pilos aequantibus, apicem pili versus minoribus; flores sessiles, ad pedunculorum apicem bini, alabastra subglobosa, aut oviformia, dense nigro-lanata, pilis ejusdem structurae obsessa; calyx totus germini adnatus, corolla 0,015 longa, externe tota, exceptis laciniarum alis, pilis nigro-patentissimis densissime villosa, tubus corollae laciniis multo brevior, 0,002-0,003 longus; limbus lilacinus, profunde partitus, bilabiatus, labium alterum trifidum, alterum profunde tripartitum, laciniae omnes e tubo fisso unguiculatae, intus glabrae, alis sat latis obovato-spathulatae; stamina 0,004 longa; filamenta antheras longitudine

aequantia, libera, filiformia; antherae lineares, erectae, biloculares, utrinque cum suis vicinis conglutinatae (nec connatae), indeque stylum circumdantes et vaginam circa illum efficientes; stylus ipse robustus, erectus, teres, 0,005-0,006 longus, apice parumper incrassatus, ibique cernuus; stigmatis indusium ciliis destitutum. Fructum non vidi.

11. D. BICOLOR.

Suffruticosa, ramosa, caule ramisque pubescentibus, foliis brevipetiolatis, ovalibus, obovatis, integris, obtusis, scabris, superne obscure viridibus, dorso albidis, leviterve flavescentibus, tomentosis, pedunculis axillaribus, folio brevioribus, 1-3-floris, terminalibusqne ramosis; pedicellis floribusque nigro-piloso-plumosis, petalis coeruleis.

D. bicolor *de Vriese Anal. Gooden.* II. 10.

Nov. Holl. Rich. Cunningh. (*Herb. Mus. Caes. Vindob.* n°. 44).

Suffrutex erectus, 0,43 longus, ramosus, caulis et rami graciles, recti, stricti, erecto-patentes, glabri, e rubescenti-fusci, rore quasi cinerascente obducti; rami apicem versus decrescentes, paniculati; petioli brevissimi, patentes, 0,002-0,001 longi; folia ovalia aut oblonga, summa imprimis obovata, basi acuta, summa paullo attenuata, apice obtusa aut rotundata, 0,009-0,032 longa, 0,005-0,015 lata, integerrima, margine subrevoluta, supra obscure-viridia, punctulato-aspera, subtus leviter subflavescentia, summa albida, minute, sed dense tomentosa, e pilis basi ramosis (stellatis) intricatis; pedunculi axillares, inferi, solitarii, summi bini ternive modo 1-flori, nunc 2-3 flori, nunc dichotome ramosi, 6 8-flori, 0,005-0,030 longi, teretes, tenues, densissime pallide flavescenti-tomentosi; bracteae ad ramificationes pedunculi, parvae, angustae, lineares, acuminatae, vix 0,002 longae, adpressae, persistentes, dorso pilis nigris, ramosis, densissime villosae; flores erecti, aut erecto-patentes; alabastrum primo globosum, demum oblongum, apice rotundatum, 0,008 longum, 0,003 latum, densissime e pilis ramosis, tenuibus, intricatis dense villoso-lanatum; calyx parvus, subglobosus, pariter nigro-villosus, pilis brevioribus; corolla 0,001 longa, externe villoso-lanata, nigrescens, cana, interne glabra, dorso

tota fissa, aut potius 3-fida; laciniae binae labium inferius, tertia trifida labium superius repraesentantes; alis apice dilatatis, emarginatis, coeruleis, glabris, patentibus. Stigmatis indusium ciliis et barba destitutum.

12. D. ROSMARINIFOLIA.

»Suffruticosa, erecta, ramosa, junior canescenti-pubescens, dein praeter paginam foliorum inferam calycis corollaeque partes tomentosas calvescens. Folia linearia obtusa, margine valde revoluta, subtus lutescenti-tomentosa, supra dein calva, ramulis nascentibus quasi fasciculata, flores axillares, brevissime pedunculati, alis petalorum subrepando-dentatis.

D. rosmarinifolia *Schldl. pl. Behrianae Linn.* 1847. *p.* 602.
Nov. Holl. Behr.

Nondum vidi. Sed praecedenti proxima videtur esse.

Habitu Lavandulam similemve plantam labiatiferam aemulatur. Caules sunt sulcati, fere spithamei, pauci, e radice lignosa exorti, nunc ramis erectis brevibus aut subcorymbosis dispositis parce ramosi; nunc ramulis haud erectis folia fasciculata formantibus simplices. Folia ad 8 lin. lata, ramorum nascentium multo minora, linearia, obtusa, dorso convexa, pagina infera marginibus inflexis, nunc aperta concava, nunc omnino clausa. Pili minuti simplices (et stellati?) caulem et folia juniora obtegunt et canescentia reddunt, mox vero detriti, superficiem foliorum calvam, saepe minute tuberculosam relinquunt; dein pagina aversa semper tomento latescenti denso, tandem saepius sordido, minusque denso, caulisque fere semper pube sordide cinerascente tegitur. Multo densius et e pilis longioribus albis simplicibus aliisque stipitatis, haud regulariter stellatis, nec non aliis nigricantibus compositum est indumentum pedunculorum, calycum et partium corollae in alabastro externarum, quod in pedunculis magis niveum, in petalis magis nigricans. Pedunculi 2-3 lin. longi; corolla est circiter pollicaris. Stamina antheris cohaerentibus, ½ lin. paullo longiora; stylus apice curvatus, stigmatis illum cingentis indusio glabro, fere cernuo. Floret m. nov. Flores albi, rubri, coerulei!?"

13. D. CUNNINGHAMI.

Fruticosa, adscendens, caule sulcato, ramoso, ramis approximatis, incurvis, stellato et griseo-tomentoso; foliis sessilibus, lanceolatis, adpressis et obovato-lanceolatis, obtusis, revolutis, supra obscure viridibus, griseo-pilosis, pilis caducis subtus tomento obscure fusco dense obtectis; floribus 1-2 axillaribus, terminalibusque, subsessilibus, externe griseo-plumoso-tomentosis; corollis coeruleis; bracteis linearibus, suboppositis.

D. Cunninghami *de Vriese Anal. Gooden. p.* 11.

Nov. Holl. Port. Jacks. Cunningham (*Herb. Lindl.*)

Suffrutex vel frutex robustus, adscendens, tomentosus, ramosus. Speciminis Cunninghamiani longitudo 0,5. Crassities caulis est 0,003, est glabratus, ab insertionibus foliorum nervis tribus decurrentibus, elevatis costatus et inter costas late sulcatus; rami sunt incurvi 0,20-0,24 longi, anguste sulcati, tenuiores, dense, imprimis vero ad apicem densissime griseo-tomentosi, e pilis basi ramosis indeque stellatis, ramis pilorum subaequalibus, folia alterna, sessilia, sat crassa, coriacea, caulina oblonga aut obovato-oblonga, basi attenuata, 0,35 0,40 longa, 0,012-0,008 lata, nervo valido mediano percursa, glabrata, vix subtus tomentosa, ramea anguste oblonga, lanceolatà, oblonga, s. obovato-oblonga, obtusa, basi vix attenuata, acuta, 0,020 longa, 0,005 lata, margine revoluta, subintegerrima, utrimque tomentosa, supra obscure-viridia, pilis minutis caducis grisea, hisque dein delapsis punctulato-asperula, subtus densissime cinereo fusco-tomentosa; pedunculi axillares breves, 0,005-0,009 longi, 1-2 flori, aut terminales elongati 0,002 longi, 3 flori; bractea sub unoquoque flore adpressa, angusta, linearis, acuminata, solitaria, 0,002 longa, dorso nigro-ramoso-pilosa, indeque villosa; alabastra oblongo-ovata, pilis longis, basi ramosis apice simplicibus, densissime nigro-villoso-lanata; flores 0,014 longi, toti externe pilis patentissimis densis obtecti; calyx subglobosus; corolla grisea, in alis coerulea, externe et alae glaberrimae, tripartita; laciniae binae superiores aequales, simplices, labium superius constituentes, inferior tertia 0,010 longa, trifida labium inferius repraesentans, lobis 0,005 longis, obovato-spathulatis; stamina et pistillum ut in speciebus praecedentibus; fructus desideratur.

14. D. NERVOSA.

Fruticosa, erecta, caule glabro; foliis petiolatis, obovatis, obtusis, integris, trinerviis, in petiolum subdecurrentibus, supra scabris, subtus stellato-tomentosis, pedunculis axillaribus longissimis, aurantio-tomentosis, multifloris, sursum ramosis; pedicellis accumbentibus brevibus vel nullis; floribus externe griseo-tomentosis vel nigro-plumosis; bracteis obovatis; bracteolis summis linearibus.

D. nervosa *de Vriese Anal. Gooden. p.* 12.

Nov. Holl. ad Glenbrook. Rich. Cunningh. (*Herb. Mus. Caes. Vindob. et herb. Hugelii* n°. 291).
» » Caley. Anderson. 1832 (*Herb. Delessert*).

Frutex erectus, rami 0,35 longi, basi ramosi; apicem versus florigeri, primo dense incano-fusco-tomentosi, dein glabrati, sulcati; petioli alterni, breves, 0,002-0,004 longi, erecto-patentes, uti rami primo puberuli, dein glabrati; folia ovata, sive ovalia, nunc praeprimis ramulorum obovata, basin versus in petiolum attenuata, apice obtusa aut rotundata, 0,03-0,04 longa, 0,012-0,017 lata, trinervia, nervo mediano ad apicem percurrente, supra medium ramoso, collateralibus binis a basi folii divergentibus, margini parallelis, ad medium percurrentibus, ibique evanidis. Folia juniora utrimque, imprimis autem subtus dense stellato-tomentosa, adulta supra calva et a punctulis prominulis scabro-aspera, subtus tomentosa, utrinque glabrata, pili tomenti a basi ramosi, ramis pilis ipsis aequilongis, tenuissimis, acutissimis; pedunculi axillares rarius subsolitarii, plerumque bini ternive, erecto-patentes, aut in ramis axillaribus brevibus basi falcatis terminales, 0,03-0,05 longi, ad apicem rami corymboso-fastigiati, supra medium dichotome-ramosi, multiflori, densissime, praeprimis versus apicem aurantiaco-tomentosi, pilis ramosis; pedicelli breves, nunc subnulli, 0,001-0,004 longi, apicem versus incrassati, densissime aurantio-villosi; alabastra primo subglobosa, dein obovata, subclavata, 0,003-0,005 longa, densissime nigro-villosa; flores erecti, 0,015 longi, externe toti, exceptis alis, pilis nigris densissime villoso-obtecti; corolla, calyx, stamina et stylus ut in speciebus praecedentibus. Fructus non observatus.

15. D. PURPUREA.

Suffruticosa, erecta, tomentosa; foliis petiolatis, ovatis, subrotundo-ovatis, ovalibus, aut ovali-oblongis, basi attenuatis, sinuato-dentatis, dentibus rotundatis, aut inciso-serratis, imis integerrimis, utrinque tomentosis, tomento demum caduco, supra punctulato-asperis, scabris; bracteis linearibus; calyce et corolla fusco-villosis.

D. purpurea *Br. prodr.* 588.
» » *de Cand. VII.* 503.

Nov. Holl. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)
» » Mountains Caley (*Herb. Delessert.*)
» » Sydney Clowes (*Herb. Hook.*)

Diagnosis juxta specimen Illustrissimi Auctoris.

Suffrutex erectus, ramosus, 0,25-0,35 longus. Rami et tota planta habent adspectum furfuraceo-purpurascentem; sunt caulis et rami sulcati, erecti, apice floriferi; folia ut in diagnosi, fere 0,045 longa, 0,03-0,025 lata. Pedunculi a apice ramorum corymbosi, erecti, dense aurantiaco-tomentoso-villosi, pilis patentissimis vix iis specierum praecedentium similibus, dichotomi, 2-4 flori; bracteae ad pedunculorum ramificationes arcte adpressae, lineares, longe nigro-villosae; flores ut in specie antecedente, erecti, 0,014 longi. Calyx et corolla D. venosae, at vero non tam nigro-, sed magis fusco-villosi. Fructus absunt.

16. D. FERRUGINEA. (†)

Suffruticosa, erecta, tomentosa, ferrugineo-tomentosa; foliis petiolatis, ovatis, acutiusculis, repando-dentatis, basi trinerviis, supra laevibus vel punctulato-scabris, in dorso ferrugineo-tomentosis, pilis intricatis patentiramosis, floribus terminalibus, vel subterminalibus; corollis externe ferrugineo-lanatis, villorum ramulis brevissimis.

D. ferruginea *Br. prodr. p.* 588.
» » *de Cand. prodr. VII.* 503.
» » *de Vriese Anal. Good.* 12.

Vidi specimen auctoris benevolentia mihi oblatum et quod dederat Auct. Herb. Deless.

A descriptione longa facile abstinere possum, nam in multis notis species haec analoga est pracedentibus. Attamen fateor me vix ausum fuisse admittere has duas tamquam distinctas species, nisi praeivisset Illustr. Auctor. Nam, quod coloris attinet differentiam, eam non tanti existimo, quippe leviori tantum gradu distinctam. Praeterea foliorum characteres non tantae dignitatis esse videntur, neque etiam adeo constantes. Species igitur haec a praecedente tantum debet distingui hisce notis: foliis repando-dentatis nec acute-dentatis, supra laevioribus magis quam in priore, basi trinerviis, floribus subterminalibus externe ferrugineo-tomentosis nec nigro-tomentosis.

Tab. XIV. fig. 1. Ramus florifer. 2 Folium a dorso visum. 3 Flos a latere visus. 4 Lobus corollae interne et 5 externe visus. 6 A latere repraesentatur lobus corollae qui stigmatis habet impressionem. 7 Flos ablata corolla. 8 Stamina. 9 Stylus cum stigmate. 10 Stigma ab indusio liberum. 11 Pilus calycinus.

17. D. HAEMATOTRICHA.

Suffruticosa, erecta, valde ramosa, ramis ramulisque marginibus, nervis, dorsoque foliorum sanguineo-tomentosis; foliis subrotundis, vel ovalibus, crassis, coriaceis, nervo medio valido percursis, integerrimis, margine pulchre rubro-tomentosis, pilis ramosis, floribus parvis, dorso corollae coeruleae fusco-tomentosis, villorum ramulis brevibus.

D. ferruginea *de Vriese Analect. Gooden. p.* 12.

Ad flum. Cygn. legit Drummond. 1845. Suppl. 56. n°. 105. ibid. 1843.
Olim pro D. ferruginea Br. habui, priusquam spec. auctoris vidi, post vero tamquam propriam speciem agnovi.

Suffrutex erectus, humilis, valde ramosus, in omnibus partibus junioribus sanguineo-tomentosus, in adultioribus deglabratus; rami erecti, graciles, sanguinei, 2-3-chotomi, 0,20-0,25 longi in speciminibus obviis; folia quamvis pleraque formae indicatae, tamen valde sunt diversa, in eodem specimine, atque basin versus in petiolum plus minus distinctum sunt attenuata; petiolus ille 0,001-0,003 longus; nunc sunt subrotunda, vix acutiuscula aut acuta, 0,016-0,03 longa, 0,014-0,025 lata, nunc ovata, acuta, 0,020-0,027 longa, 0,018-0,013 lata, nunc lanceolata s. oblongo-lanceolata, acuta, basi fere acuminato-attenuata, 0,014-04 longa, 0,006-0,018 lata, nunc spathulato-lanceolata, acuta, in petiolum longe attenuata, margine integerrima, nervo medio plus minus robusto percursa, nervis collateralibus solum in foliis basi longe-attenuatis conspicuis, junioribus in nervo medio et margine imprimis sanguineo-tomentosa, caeterum dense sed albido-tomentosa, adultiora deinde tota glabrata; pedunculi in ramis subfastigiatis terminales, aut eorum axillis summis foliorum axillares, indeque subterminales, fastigiati, erecto-patentes, medio articulati, ibique bractea 1-2 muniti, toti et flores rubro-tomentosi, e pilis a basi ad apicem versus decrescenti-ramosis, ramis patentibus acutissimis, in summo apice pili ramis nunc destitutis; bracteae lineari-oblongae, oblongo-lanceolatae, apicem versus fusco-, vel sanguineo-tomentosae, erecto-patentes; flores solitarii, bini, vel terni, erecti, nutantes, corollae coeruleae, caetera uti in pracedentibus speciebus.

18. D. INCANA. (†)

Fruticulosa, suberecta, ramosissima, tota pube stellata molli cano-tomentosa, foliis obovatis, raro-oblongis, integerrimis, apice rotundatis, vix subacutis, hinc inde sinuato-denticulatis; pedunculis teretibus, gracilibus, erectis, unifloris; calyce et corolla externe cano-tomentosis, corollis coeruleis.

D. incana *Br. prodr. l. c.*
» » *de Cand. VII.* 503.
» » *de Vriese Anal. Gooden. p.* 12.

Nov. Holl. (*Herb. Hook. Herb. Delessert, Herb. Reg. Lugd. Bat.*)

Herbae suffruticosae, graciles, totae incanae, adscendentes, erectae, racemosae, fastigiatae; rami sunt teretes, angulati, pariter uti tota planta dense cano-tomentosi, e pilis densissime intricatis, stellatis, radiis 6-7 subaequilongis, acuminatissimis; folia alterna, in specimine humiliori apicem versus subopposita, formae diversae, pleraque obovata, basin versus in petiolum attenuata, apice rotundata nunc subacuta, 0,008-0,035 longa, 0,004-0,013 lata, summa saepe et imprimis in ramulis floriferis (bracteas repraesentantibus) angusta, oblonga, aut oblongo-obovata, integerrima, inferiora anguste-oblonga aut oblongo-spathulata, basi attenuata; pedunculi tenues, graciles, erecti; calyx perparvus, 0,001 longus, totusque germini adnatus; corolla externe tota tomentosa. Reliqua organa fere ut in antecedentibus speciebus. Stigmatis indusium amplum (ratione habita styli), glabrum. Fructus desideratur.

Species propter tomentum proprium album, quo omnes partes obteguntur, ab omnibus reliquis distinctissima.

19. D. TERES. (†)

Herbae vel suffrutices, erectae, tenues, graciles; foliis semiteretibus obtusis, incanis, subcurvatis, apice obtusis, sive acutiusculis, basi vix attenuatis (in vivo subcarnosis), dense et minute tomentosis; floribus in apice ramorum remote racemosis, breviter pedunculatis; corollis externe dense tomentosis, coeruleis.

D. teres *Lindl. Veget. Sw. Riv. Col. Bot. Reg. XX.*
» » *de Vriese Anal. Gooden. p.* 12.

Ad flum. Cygn. legit James Mangles (*Herb. Lindl.*)
» » » » Drummond (*Herb. Hook.* n°. 12).
» » » » Hugel (*Mus. Caes. Vindob.*)

Valde ramosa, basi suffruticosa, pilis minutissimis, densissimis, stellatis obtectae, imprimis in partibus junioribus denso, cano tomento obtecta, in adultioribus deglabrata; rami erecto-patentes, teretes, stricti, apice fere flexuosi et sub floribus tenuissimi; folia angusta, 0,005-0,015 longa, crassa, dense, sed tamen minute-

tomentosa, deinde glabra, tandem nigrescentia; flores breviter pedunculati, racemi 0,06-0,1 longi, laxi, flexuosi, gracillimi, ad insertionem pedunculorum bracteati; bracteae minutae, lineari-subulatae, subcurvatae, patentes, pedunculo adpressae, 0,002 longae; pedunculi bracteis minores, patentes, uniflori, apice bibracteolati; calyx parvus, obconicus, 0,002, totus uti corolla externe cano-tomentosus, e pilis stellatis radiatim ramosis; alabastrum lineari-oblongum, utrinque attenuatum; corolla 0,007 longa, profunde 3-partita; laciniae binae superiores simplices quae labium superius, inferior trifida quae labium inferius repraesentat, omnes externe tomentosae, interne glabrae et supra medium ala purpurea, sive coerulea, lata, glabra, crispato-repanda, transverse venosa instructae; filamenta sunt subnulla, antheris erectis, in margine inter se cohaerentibus, tubum luteum apice acutiusculum, stylum arcte cingentem efficientibus. Stigmatis indusium cernuum, glabrum, nec margine ciliatum.

20. D. REINWARDTII. (†)

Suffruticosa, ramosa, densissime niveo-pilosa, adspectu cretacea, vel quasi alutacea, foliis sessilibus, obovatis, integerrimis, obtusis, spica elongata, ramosa; calyce longe et dense lanato, lana flavescente, pilisque horizontalibus, elongatis, corolla alba, flava, tubo et dorso loborum striis latis, fuscis colorata, loborum alis latis, apice emarginatis, margine crispatulis; stylo villoso; stigmatis indusio fusco vel violaceo, apice dense, albo- brevique ciliato.

Scaevola Reinwardtii *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 409.

In planitie arenosa Quangen, Victoria d. 20 m. Mart. 1840 legit Preiss. Herb. n°. 1454. In solo limoso planitiei, inter praedia rustica Morrell et Heals, York, d. 14 m. Mart. 1840. n°. 1455.

Ad flum. Cygn. Drummond (*Herb. Hook.* 404. 1843)
» » » » (*Herb. Delessert*).
» » » Toward (*Herb. Lindl.*)

Ante Scaevolae adnumeravi. Nunc vero inspectis melioribus speciminibus jam certius efficere possum plantam ad genus D. referendam esse.

Est planta 1½ pedalis, imprimis propter tomentum densissimum atque brevissimum, albo-flavescens facile dignoscenda. Caulis est lignosus, crassus, teres; folia sunt vix petiolata, aut decursiva, obovata, elliptica, integerrima, crassa, apice obtusa, vel acutiuscula, nervo medio valido carinata; 0,03-0,04 longa, 0,02 lata; flores sunt dispositi in racemis valde elongatis et a se invicem sunt valde remoti, bracteis parvis, lineari-lanceolatis suffulti.

Tab. XV. fig. 1. Ramus florifer; 2. lobus corollae externe et 3. interne visus; 4. indusium stigmatis; 5. antherae.

21. D. PREISSII.

Caule herbaceo, vel suffruticoso, multiramoso, angulato, sulcato, tomentoso; foliis congestis, conglomeratis, unilateralibus, in apice subverticillatis, ovatis, denticulatis, superne glabris, scabriusculis, infra cinereo-tomentosis, margine revolutis; glomerulis sessilibus, alternis remotis, axillaribus terminalibusque, extus longissime lanatis; floribus pedunculatis, pedunculis 1-3 floris, lana acuta, longa, alba, simplici obtectis, corollis cyaneis, angustis, externe valde lanatis, stylo incurvo, stigmate lato, nigrescente.

D. Preissii *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 403. *Analect. Gooden. p.* 13.

Herbae e basi suffruticosa, multicipite erectae, strictae, ramosae, graciles, sulcatae in caulibus et ramis, in summis apicibus dense lanato-tomentosae; folia alterna ad apicem ramorum aut in axillis foliorum congesta, rosulata, subverticillata, oblonga, aut elliptico-oblonga, basi subobtusa, apice acutiuscula, 0,01 longa, 0,003 lata, apicem caulis versus minora, in margine revoluto nunc serrata, nunc minute et obsolete denticulata, supra glabra, subscabrida, dense cinereo- aut albido-tomentosa, e pilis stellatis quorum rami longissimi, acutissimi, densissime intricatis; flores in ramulorum axillarum apicibus, aut in ramis ipsis terminales, glomerulati; glomeruli sessiles, inter se remoti, alternantes foliis minutis floralibus nec forma diversis, sed utrinque dense niveo-sericeo-lanatis intermixti, 4-8 flori; pedunculi

perbreves, dense longeque niveo-lanati, lana e pilis simplicibus aut ima basi ramosis formata, sericea; bracteae foliiformes; calyx dense lanatus, perparvus, vix 0,001 longus, limbus vix conspicuus; corolla pro flore magna, externe lanata. Reliqua organa floralia fere uti in praecedentibus speciebus. Fructus non adsunt.

22. D. LAVANDULACEA.

Suffruticulosa, ramis teretibus, foliis oblongo-lineari-lanceolatis, summis linearibus, acutis, basin versus attenuatis, lanato-tomentosis, dein supra glabratis et scabriusculis, subtus dense intricate albo-tomentosis; pedunculis terminalibus et axillaribus lanatis, corollis coeruleis, externe griseo-barbatis, villis plumosis.

D. Lavandulacea *Lindl. veget. Sw. Col. Riv. B. R. XX. de Vriese Anal. Gooden.* 13.

Ad flum. Cygn. Drummond (*Herb. Lindl. Hook.* 1842-5. *Mus. Caes. Vind.* 398).
» » » Hugel. (ibid. *Herb. Delessert*).
» » Vasse, in ora Austro-occid. legit Molloy. 1839 (*Herb. Lindl.*).
» » Cygn. Mangles (*Herb. Lindl.*).

Folia sunt, uti in diagnosi indicavi, 0,006-0,010 longa, 0,001-0,002 lata, in margine revoluto plus minus sinuato-denticulata; pedunculi axillares et terminales, in ramis axillaribus breves, bracteis obovato-spathulatis minuti; flores in pedunculis solitarii, aut 2-3-ni, externe toti griseo-lanati, 0,01 longi; calyx minutus, corolla coerulea, transverse venoso-radiata, ad apicem emarginata; stigmatis indusium dilatatum, glabrum, nec ciliatum.

Descriptio speciminis Lindleyani.

Herbae suffruticulosae, e basi multiramosa erectae, ad 25 cntm. altae; rami singuli graciles, stricti, subsimplices, aut plus minus ramosi, teretes, leviter sulcati, primo dense albido-lanato-tomentosi, dein glabrati; folia oblongo- s. lineari-lanceolata, summa imoque linearia acuta s. acuminata, basin versus attenuata, prima juventute utrinque lanato-tomentosa, dein supra glabrata et scabriuscula, subtus dense intricate albido-tomentosa, 6-10 mllm. longa, 1-2 mllm. lata, in margine

evoluto plus minus conspicue sinuato-denticulata; pedunculi axillares aut terminales, in ramis axillaribus breves, dense candido-lanati; bracteis obovato-spathulatis, 3 mllm. longis; flores in pedunculis solitarii, aut 2-3-ni, extus toti griseo-lanati, 1 cntm. longi; calyx minutus, vix 1 mllm. longus, totus germini adnatus; limbus obsoletus, subnullus, quam corolla magis albido-lanatus; corollae tubus 3 mllm. longus, nec corolla uti in speciebus nonnullis profunde tripartita; limbus tripartitus, laciniae 2 simplices, inferior tertia superior trifida, omnes extus supra medium ala sat lata tenuissima, glabra, coerulea, transversim venoso-radiata, ad apicem emarginata cinctae; stamina 5,2 mllm. longa; filamenta libera, albida, erecta; antherae filamentis vix aequilongae, flavescentes, cum marginibus inter se cohaerentes et circa stylum tubum formantes, apice subemarginatae; stylus stamina duplo excedens, 4 mllm. longus, apice fere nutans, teres, glaber, stigmatis indusium dilatatum, glabrum, nec ciliatum; fructus desiderantur.

23. D. ADPRESSA.

Caulibus e radice lignosa plurimis, herbaceis, simplicibus, striato-sulcatis, cano-villosis, foliis adpressis, erectis, oblongo-lanceolatis et lineari-lanceolatis, junioribus utrinque cano-villosis, adultis glabris, spicis (racemis) pedunculatis, bracteis bracteolisque suboppositis, corollis coeruleis, externe lanatis, villis patulis, simplicibus.

D. adpressa *A. Cunningh. in litt.* 1836.
» » *de Cand. prodr. VII.* 503.
» » *de Vriese in Mitchell, Journ. of an Expedition into trop. Austr.* 339.
» » » » *Anal. Gooden. p.* 14.

Vidi specimina sqq.

Distant interior of N. S. W. Croker's Range, 1825. A. Cunningh. (*Herb. Mus. Caes. Vind.* XVI. 1836. sub nomine *D. adpressae*, quod auctoris manu adscriptum est).

Ex eadem statione ab eodem inventore (*Herb. Hook.* sub nomine *D. lanceolatae* C. 45).

Huc quoque trahi possit spec. Herb. Lindleji, sub nomine *D. lanceolatae* Wellington-Valley, interior of N. S. Wales. Dec. 1825. A. C. nisi potius sit forma intermedia inter *D. adpressam* et *D. lanceolatam*. Vidi in Herb. Lindl.

Praeterea huc olim retuli etiam spec. Mitchellianum ex Nov. Holl. subtropica, ibidem lectum 1846. (*Herb. Mitchell.*)

Herbae graciles, tenellae, 0,40-0,45 longae, erectae, ramosae, totae, floribus solummodo exceptis glabrae; rami graciles genistaeformes, angulati, leviter sulcati, laete virides, folia alterna erecta, vix hinc inde erecto-patentia, anguste lineari-lanceolata, integerrima, acuminata, nunc subfalcata, 0,013-0,37 millimetra longa, 0,02-0,04 lata, glaberrima, supra et ad margines scabrida, pedunculi axillares, breves, lanato-tomentosi, solitarii, 1-2 flori; bracteae ad florum basin 2-3, lanceolatae, 0,002-0,003 longae, acuminatae s. acutae, pariter tomentosae, flori arcte adpressae; calyx totus pilis albidis, ima basi ramosis, longissimis, tenuissimis dense obsessus, totus germine adnatus; limbus liber, nullus, totus vix 0,001 longus; corolla 0,004 longa, externe dense pilis antrorsis tomentosa, profunde 3-partita; antherae sunt apice emarginatae, primo conniventes et in margine cohaerentes, tubum qui stylum cingit efformantes, dein liberae, divergentes; stylus stamina duplo excedens, filiformis, erectus, glaber, apice nutans; stigma crassum, indusium glabrum nec ciliatum, neque barbatum. Fructus deëst.

Tab. XVI. fig. 1, 2. Rami florentes. 3. Flos apertus a latere visus. 4. Gemma clausa et aperta. 6, 7. Lobi corollae interne et externe visi. 8. Antherae. 9. Stylus cum staminibus.

24. D. LANCEOLATA,

Suffruticosa, erecta, ramosissima, foliis integerrimis, lanceolatis, acuminatis, basi acutis, nunc oblongo-, nunc anguste-lanceolatis, versus apicem ramorum lineari-lanceolatis, raro subspathulatis, rarissime subsinuato-dentatis, supra glabris, subtus ramulisque pube stellata velutinis; pedunculis in racemum compositum terminalem dispositis, corollisque (praeter tomentum) villos plumosos nigros gerentibus.

D. lanceolata *A. Cunningh. in litt.* 1836.
» » *de Cand. Prodr. VII.* 503.
» » *de Vriese Anal. Gooden. p.* 13.

Croker's Range remote interior west from Wellington Valley. N. S. Wales. Nov. 1825. Haec ipsa manu schedulae adjectae adscripsit inventor (*Herb. Mus. Caes. Vind. Hook. Lindl.*)

Herbae e basi suffrutescente, multicipite ramosae, 0,45 altae, graciles; rami (sive caules) erecti, stricti, simplices, aut summo apice tantum paniculatim ramosi, teretes, crassitiei pennae corvinae, juniores dense candido-tomentosi; folia uti in diagnosi sunt indicata, 0,035 longa, 0,012 lata. Pedunculi axillares et terminales, 0,015-0,020 longi, 3-4flori, dense candido lanato-tomentosi, ad insertionem florum bracteati; bracteae sunt angustissimae, lineares, acutissimae, subulatae, plerumque binae oppositae, tomentosae, pedicelli subnulli; flores 0,007 longi, externe lanati, candidi; calyx brevissimus, corolla externe lanata, interne et alis glabra. Organa reliqua ab iis reliquarum specierum vix diversa; stigma glabrum, nec ciliatum.

Tab. XVII. fig. 1. Ramus florifer. 2. Flos apertus. 3. Lobus ejusdem a latere visus. 4. Lobus corollae interne et 5. externe visus. 6. id. ablata corolla. 7. indusium. 8. Stam. 9. Fructus. 10. Semen.

25. D. CUNEATA. (†)

Herbacea, erectiuscula, primum pubescens, deinde in magis adultis glabrata; foliis sessilibus, dentato-obovato-cuneatis, summis elliptico-lanceolatis; spicis axillaribus terminalibusque longissime pedunculatis, bracteis subopposititis, floribus congestis, sive alternis, corollis externe lanatis, villis simplicibus, patulis.

D. cuneata *Br. prodr.* 588.
» » *de Cand. prodr. VII.* 504.
» » *de Vriese Anal. Gooden. p.* 14.

Vidi specim. sqq.
Nov. Holl. (*Herb. Mus. Caes. Vindob. e coll. Ferd. Bauer*)
» » ad flum Cygn. Drummond. 127 et 40 (*Herb. Hook.*)
» » » Sin. Reg. Georgii. Fraser. (*Herb. Hook.* n°. 70.)
» » » » » » Baxter. (*ib.*)

Herbae erectae, in prima juventute pubescentes, dein glabratae, valde ramosae; rami sunt patentes aut erecto-patentes, tenerrimi, graciles, longiores saepe iterum ramulis brevibus muniti, caeteri simplices, floccoso- aut hirto-puberuli; petioli nunc subnulli, nunc 0,001-0,003 longi, sensim in foliorum basin transeuntes; folia caulis aut ramorum primordialium sunt obovato-cuneata, nunc subrotunda, basi plus minus attenuata, sinuato-dentata, aut subserrata, fere 0,030 longa, 0,022-0,012 lata, ramorum secundariorum difformia, multo minora, nunc obovato-lanceolata, basi longe-attenuata, apice acuta, minute denticulata, 0,020-0,022 longa, 0,006-0,007 lata, nunc obovato-subrotunda, aut ovalia, vix denticulata, omnia margine subrevoluta, glabra, supra asperula; pedunculi terminales 0,02-0,04 longi, aut axillares nunc elongati, 0,06 longi, 2-4ni ex eadem axilla, nunc imprimis apicem versus fastigiati, laxi, apice dichotome-ramiferi et ad divisiones bracteis persistentibus obsessi, pauci aut multiflori; bracteae lineares aut lineari-lanceolatae, nunc subfalcatae aut rectae, apice mucronulatae, integerrimae, basi subopposítae, apicem versus alternae, sensim decrescentes primum extus pilis albidis, longis obsessae, dein glabratae, interne glaberrimae; pedicelli breves 0,002-0,003 longi, uti et flores dense lanato-tomentosi, inter bracteas reconditi; flores pilis longis antrorsis, albidis, basi brevissime ramosis, supra basin simplicibus, acutissimis, densis obtecti, in anthesi 0,014 longi; corolla est decidua, alae que ejusdem sunt transverse radiatim venosae. Stigmatis indusium est crassum, glabrum, imberbe, sive pilis raris in margine instructum.

26. D. AZUREA. (†)

Herbacea, suberecta; foliis sessilibus, subdenticulatis, obovato- vel lineari-lanceolatis, anguste-obovato-linearibus, cuneatisve, coriaceis, erectis; floribus secundis, longe-pedunculatis; bracteis ellipticis, suboppositis; corollis externe griseo-lanatis, villis simplicibus, patulis.

D. azurea *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 400.
» » » » *Analect. Gooden. p.* 15.

In arenosis umbrosis ad flum. Cygn. legit Preiss. (1475).
Ib. Drumm. (*Herb. Mus. Caes. Vind.* 300-301).
» Sin. Reg. Georg. (*Herb. Hook.*)
» River Banks. Sw. Riv. Molloy. (*Lindl. herb.*)

Herbae suberectae; rami simplices, raro ramosi, glabri, teretes, crassitie pennae columbinae et tenuiores; folia alterna, rigida, coriacea, erecta, (etc. uti in diagnosi), 0,02-0,03 longa, 0,003-0,005 lata, integerrima, aut hinc inde minute denticulata, glaberrima; flores ad apicem ramorum pauci, azurei, subcorymbosi, externe toti griseo-lanati; bracteae lineari-ellipticae, acutae, mucronulatae, coriaceae, glaberrimae, 0,005-0,007 longae, 0,001-0,002 latae, erectae, adpressae; pedunculi erecti, 0,004-0,007 longi, glaberrimi; calyx cylindricus, totus griseo-lanatus; corolla erecta, externe grisea, in alis azurea, glabra; stamina et stylus adscendunt et inter lacinias corollae superiores recipiuntur. Stylus erecto-adscendens, apice incurvus, 0,005 longus, teres, glaber, luteus. Stigma incrassatum, nutans, indusium est imberbe; fructus lineari-oblongus, (siccando?) cylindricus, subangulatus, 0,006 longus, 0,005 crassus, glaberrimus, lucidulus, apice coronatus, basi corollae persistente, 1-locularis, monospermus, sed seminibus abortivis vacuus.

27. D. LINEARIS. (†)

Herbacea, erecta, pubescens, deinde glabrescens, foliis sessilibus angustis, lineari-lanceolatis, acuminatis, versus basin attenuatis, anguste obovato-spathulatis, obtusis, margine denticulatis, sinuato-dentatis, integerrimis, spicis pedunculatis bracteis rhacheos oppositis; floribus alternis, corollis externe lanatis, villis patulis simplicibus.

D. linearis *Br.* 588. *Benth. in Hugel. Enum.*
» » *de Cand. VII.* 504.
» » *de Vriese Anal. Gooden.* 15.
» eriophora *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. p.* 400.
» erecta » » » » » » » 401.

Vidi specimina haecce:

Nov. Holl. merid. prope promontorium Leeuwin. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vind.*)
» » Sin. Reg. Georg. Fr. 1829 (*Herb. Hook.*)
» » Roë. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)
» » Black Sandy Soil. Molly (*Herb. Lindl.*)
» » flum. Cygn. Drumm. Huhnmann. Rosse (*Herb. Del.*)
» » Preiss. (*Herb.* 1500)

Herbae suffruticosae, strictae, rami teretes, (siccati) subangulati, flexuosi, toti et in foliorum axillis glabri; folia coriacea, angusta, lineari-lanceolata, acuminata, margine raro denticulata; pedunculi axillares aut terminales, 2-3 flori, elongati, subumbelliflori, nudi, ima basi bracteis cincti et sub floribus bracteis praediti, 0,015 0,040 longi, erecti, aut erecto-patentes, glaberrimi; bracteae ad basin pedunculorum 4-nae, cruciatim dispositae; flores in umbella rara 2-3, quorum unus sessilis, reliqui sunt breviter pedicellati; bractearum axillae lana longa, albida farctae; pedicelli pilis antrorsis longis hirti, 0,002-0,004 longi, erecti; calyx subcylindricus, albo-lanatus; corolla externe tota griseo-lanata, coerulea, alae transverse venosae. Indusium est membranaceum, pallide flavum; fructus deëst.

28. D. FASCICULATA.

Herbacea, erecta, caule compresso-trigono, ramis accumbentibus, approximato-parallelis, nodoso-articulatis; foliis sessilibus, linearibus, lineari-cuneatis, subdentatis, acuteque dentatis, lanceolatis, summis verticillato-congestis, glabris, laevibusque; pedunculis fasciculato-corymbosis, paucifloris, dorsi corollae pilis adpressis, ferrugineis.

D. fasciculata *Br. prodr.* 588.
» » *de Cand. VII.* 504. *de Vriese Anal. Good.* 15.
» stricta *Sieb. fl. nov. Holl. exs.* n°. 226.

Sydney. Clowes (*Herb. Hook.*)
Nov. Holl. Sieber. (*Herb. Mus. Caes. Vind. spec. l. l.*)

Est species satis distincta characteribus in diagnosi indicatis. Quibus haec addo. Sunt diversae in herbariis a me observatae formae, quae huc relatae; tamen inter se differunt. Quod vidit etiam Ill. Candolleus, qui admisit speciei hujus varietatem, quam dixit

> β *latifoliam*, foliis oblongis, subcuneatis, pedunculis longiusculis ♄. Ad Portum Regis Georgii. Folia sunt 1½ poll. longa, atque 3 lineas lata, summa sunt verticillato-congesta.

Folia sunt fere 0,015-0,02 longa, vix 0,005 lata. Corollae sunt fere 0,02 longae, alatae, lobis caeruleae.

In specimine ab Illustrissimo Auctore mecum benevole communicato haec distinguo.

Herba erecta, subflexuosa, robusta; rami compressi, trigoni, nonnumquam torti, 0,003 crassi, glabri, ramosi; ramuli tenerrimi, graciles; folia alterna, rigida, coriacea, diversiformia. Folia infima obovato-cuneata, subintegerrima, obtusa, aut acuta, 0,03 longa, 0,01 lata; superiora maxime oblongo-lanceolata, acuta, sive acuminata, profunde inciso-dentata, 0,05 longa, 0,013 lata; altiora sensim angustiora, lineari-lanceolata, acuminata, basi semi-amplexicaulia, minutissime hinc inde denticulata, aut integerrima, erecta, 0,020-0,026 longa, 0,004 lata, omnia utrinque glaberrima; pedunculi in axillis foliorum summorum fasciculati, tenuissimi, dichotomi, pauciflori, 0,02-0,04 cent. longi, ad ramificationes bracteis binis oppositis, minutissimis, 0,001 longis, angustissimis praediti; flores ad unamquamque ramificationem inter bractearum paria solitarii, erecti, sessiles, 0,013-0,014 longi; corolla externe pilis fuscis, flavis, sericantibus obtecta; quae in reliquis video organis, vix ad speciem rectius distinguendam possunt adhiberi.

29. D. OBLONGATA. (†)

Herbacea, erecta, caule compresso, trigono, ramulis parallelo-approximatis; foliis sessilibus, oblongis, rhombeo-, aut cuneato-oblongis, obovato-cuneatis, basin versus parum attenuata, apice obtusis vel acutis, utrinque dente solitario valde prominulo angulatis, rarius denticulo altero, minuto adjecto, omnibus laevibus; pedunculis subterminalibus brevissimis, 1-3 floris, corollis externe pilis adpressis.

D. oblongata *Br. prodr.* 588.
» » *de Cand. VII.* 504.
» » *de Vriese Anal. Good.* 16.

Vidi spec. haecce:
Ad Port Jacks. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vind.*)
Nov. Holl. Labillardière (*Mus. Par.*)
» » Bot. Bay Hügel, (*Herb. Mus. Vind.*)
» » Ikawara Annim-Paramatta Hügel. (ib.)
» » Sieb. n°. 226. (*Herb. horti Acad. L. B.*)
N. S. W. Bargs. Backhouse (*Herb. Hook.*)
Nov. Holl. Hunters Range Lady Pavoy (*Herb. Hook.*)
Port Jacks. Carey, flum. Cygn. Drumm. Prope Sydney. Backhouse 1836. Ad Port Reg. Georgii. Baxter. Ad partem borealem Encounters Bay. Austr. merid. Whittaken. (*Herb. Hook.*)

Ex characteribus foliorum indicatis haec species optima dignoscitur. Sunt universe 0,015-0,03 longa, 0,006-0,02 lata, rigida, coriacea, siccando rugosa, in prima evolutione pilis minutis adpressis puberula, dein glabra, supra scabrida. Reliquorum organorum amplior descriptio infra sequitur:

Descriptio speciminis Ill. Brownei.

Herbae erectae (specimina 30-40 cntm. longa), ramosae, caulis et rami triquetri, juveniles e pilis fuscis, lucidulis, stellatis, minutis adpresse-puberuli, dein glabrati; rami circiter 1 decmt. longi, erecti, stricti; folia alterna, sessilia, erecto-patentia, rhombeo- aut cuneato-oblonga, nunc obovato-cuneata, basin versus paulo attenuata, sed obtusa, apice obtuse-acuta, utrinque dente solitario valde prominulo angulata; rarius denticulo altero, minuto adjecto, 30-15 mllm. longa, 20-6 mllm. lata, rigida, coriacea, dein siccando rugosa, prima juventute pilis minutis adpressis puberula, dein glabra, supra scabrida; pedunculi in ramis terminales aut eorum axillis superioribus axillares, solitarii, foliis suis plus dimidio breviores, 8-10 mllm. longi, 3 flori, dense pilis stellatis, pallide fuscis tomentosi; bracteae sub quoque flore 1, sub summo binae, erecto-patentes, persistentes, lineari-lanctoealae, acuminatae, 2 mllm. longae, pilis longis, simplicibus, acutissimis, rigidis, strigosis, dense obtectae et ad margines ciliatae, flores in bractearum axillis sessiles, 9-10 mllm. longi externe dense pilis antrorsis, sive bractearum consimilibus, dense luci-

dulo-aureo-lanato-strigosi; calyx totus germini adnatus, 2 mllm. paulo excedens, limbus liber distinctus nullus; corolla profunde 3-partita; laciniae binae, simplices, breviores, labium superius repraesentantes, reliqua tertia major, labium inferius fingens, trifida; lacinulae angustae, lineares, extus uti tota corolla strigoso-lanatae; stamina 5 et stylus erecto-adscendentes, inter laciniam corollae superiores recepti, persistentes; stamina 5 generis 2 mllm. longa; antherae in tubum cohaerentes; stylus 3 mllm. longus, teres, glaber; stigma nutans, glabrum; fructus desunt.

30. D. SUBVERTICILLATA.

Suffruticosa, multicaulis; ramis ima basi subteretibus, tomentosis, inde trigonis, glabris, sursum compresso-alatis, iterum ramosis; foliis coriaceis, ad basin ramorum lateralibus, sursum verticillatis, ovatis vel subrotundis, remote- et repando-denticulatis; floribus sessilibus ad ramorum apices congestis, foliorum verticillo obtectis; bracteis ovatis, acutis; calyce tomentoso, corolla coerulea, villis lanarum simplicibus longissimis.

D. subverticillata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 403.

Nov. Holl. Preiss. (*Herb.* n°. 1510)

Suffrutex pedalis; rami basi teretes, minute denseque puberuli, supra basin triquetri, glabri, altius vero sensim compresso-alati, subramosi aut ramosi; folia coriacea, glabra, hinc inde solitaria accedentibus nonnullis solitariis, minoribus, plerumque congesta, subverticillata, rosulata, margine revoluta, obovato-cuneata, apicem versus utrinque dente uno, rarius accedente secundo minuto subtricuspidata, modo integerrima, rotundata, remote minuteque denticulata, 0,008-0,011 longa, 0,005-0,006 lata; flores inter foliorum congestorum axillas, inter pilos minutissimos simplices, densissime congestos, pulvinum formantes, sessiles, a bracteis pulvinum excedentibus sejuncti, folia vix superantes, erecti, dense griseo- fere sericeo-lanati; bracteae angustae, oblongo-, sive lineari-lanceolatae, acutae, erectae, subconcavae, coriaceae, persistentes, basi in pulvinulum pilorum immersae, 0,003

longae, vix fere 0,001 latae, glaberrimae, interiores angustissimae, deinde marcescentes; corolla est coerulea; filamenta subnulla; stylus glaber, apice cernuus; stigma glaberrimum, imberbe. Fructus desideratur.

31. D. STRICTA. (†)

Herbacea, erecta, caule compresso-trigono, ramulis parallelo-approximatis; foliis sessilibus, obovato- vel oblongo-lanceolatis, summis angustioribus, sinuato-dentatis, acutis, acuminatis, supra scabriusculis, aut obovato-cuneatis, inciso-dentatis, basin versus valde attenuatis; pedunculis paucifloris, axillaribus terminalibusque, corollae pilis externe adpressis.

D. stricta *Br. prodr.* 589.
» » » » *in Lehm. pl. Preiss. p.* 401.
» » *Rich. Ann. mus. XVIII. t.* 2. n°. 2.
» » *Loud. encycl. pl.* 168. n°. 2771. *ic.*
» » *de Cand. prodr. VII.* 504.
» » *de Vriese Anal. Gooden.* 17.
» ferruginea *Sieb. fl. Nov. Holl. exsc.* n°. 224.
Goodenia stricta *Smith. in trans. Linn. Soc.* 2. *p.* 349.

Vidi sqq. specimina.
Ad Port. Reg. Georg. Baxter (*Herb. Hook.*)
Prope Sydney. Clowes.
In terra van Diemen, ad fontes N. Eck. legit Comes Streleski 1840-42 (*Hook.*)
Austr. orient. Hügel. Hortus Botany bay (*Mus. Caes. Vindob.*)
Nov. Holl. Cunningh. Port. Jacks. Ferd. Bauer (*Herb. id.*)
Ad fl. Cygn. Preiss. 1484.

Praeterea liceat citare Herb. Delessert ex collectionibus Smithii, Caleji, Andersonii (1832) etc.

Longitudo foliorum 0,035-0,045, latitudo vero 0,01-0,004; pedunculi sunt 2-3-4 flori; bracteae lineares, acuminatae, mucronulatae, erecto-patentes, 0,004

longae, persistentes, glabrae; flores sunt erecti, 0,014 longi, alis cyaneis instructi, caeterum toti pilis aureo-fuscis instructi, nitidi; calyx 0,004 longus, pariter aureo-tomentosus, nitidus. Stylus erecto-adscendens, apice incurvus, teres, glaber, 0,004 longus; stigma incrassatum nutans, indusium dilatatum, imberbe, nec ciliatum; fructus deglabrati, indehiscentes, oblongo-cylindrici, subcurvati, sulcati; calycis limbo et corollae basi (tubi) persistentibus coronati, (monospermi?) sed in his vacui.

32. D. PARVIFOLIA.

Herbacea, erecta, genistaeformis, caulibus erectis, strictis, compresso-trigonis, paniculatis; foliis parvis, lineari-lanceolatis, obtusis, crassis, semiteretibus, basin versus attenuatis, rameis vix subulatis; floribus solitariis, sessilibus; bracteis minutissimis foliiformibus ad imam pedunculorum basin 2-nis, oppositis; corollis erectis, azureis, externe totis dense lanatis; stigmate glabro, cernuo, imberbi.

D. parvifolia *Br. prodr.* 589.
» » *de Cand. prodr. VII.* 504.
» » *de Vriese Analect. Gooden. p.* 17.

Ad flum. Cygn. Drumm. (*Herb. Hook.*)
Nov. Holl. mer. Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*)

Rami sunt sulcati, nec omnes compresso-trigoni; folia sunt 0,002-0,004 longa, 0,001-0,0015 lata, summis vix subulatis; pedunculi sunt uniflori, 0,005-0,10 longi, rarius apice ramosi, 2-3 flori, cinereo-tomentosi. Habitus hujus specie exacte aemulatur Spartium scoparium.

Descriptio specim. Ill. Auctoris.

Herbae e basi multicipite erectae (specim. 25-30 cntm. longa) paniculatim ramosae, scopariae, glabrae; rami caulibus consimiles, 1-10 cntm. longi, vix 1 mllm. crassi, erecti, subfastigiati, teretes, leviter sulcati (nec compresso-trigoni); folia caduca pleraque deficientia, perparva, lineari-lanceolata, obtusiuscula, crassa, semiteretia, basin versus attenuata, 4-2 mllm. longa, 1-1 mill. lata, glabra, le-

pidota; summa paulo breviora (nec subulata); pedunculi ad ramorum apices axillares, solitarii, erecti, uniflori, 5-10 mllm. longi, rarius apice ramosi 2-3 flori, cinereo-tomentosi; bracteae minutissimae, foliiformes, ad imam pedunculorum basin 2-nae, oppositae; flores erecti, solitarii, azurei, 13 mllm. longi; alabastrum obovato-clavatum, obtusum, dense griseo-lanatum; calyx obconico-cylindricus, 3-4 mllm. longus, totus germini adnatus; limbus liber nullus; corolla sat magna, extus tota-lanata, intus glabra, lutea, profunde tripartita; laciniae binae simplices indivisae, superiores, stamina et stylum foventes, tertia inferior major, trifida, labium inferius formans; laciniae omnes lineari-lanceolatae, extus lanatae, alis glaberrimis, azureis ad margines, apicem versus sensim latioribus praeditae indeque truncato-cuneatae; stamina 5 erecta, 1 mllm. alta; filamenta subnulla; antherae luteae, lineari-oblongae, lateraliter inter se cohaerentes et tubum stylum cingentem formantes, dorso rima duplici, longitudinali dehiscentes; stylus 3-4 mllm. longus, erecto-adscendens glaber, apice nutans, incurvus; stigma crassiusculum, cernuum, glabrum, imberbe; fructus desiderantur.

33. D. CAULOPTERA. (†)

Herbacea, erecta, glabra, paniculato-ramosa, caule basi terete, superne ramisque compresso-subtrigonis, hinc in alam angustam longe-productis, foliis inferioribus cuneato-lanceolatis, grosse et raro-dentatis, summis lanceolatis, subintegerrimis, floribus laxe paniculatis; corolla externe nigro- adpresse pubescente, coerulea.

D. cauloptera *de Cand. prodr. VII.* 504.
» » *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 402.
» Lindleji *de Vriese l. c.* D. trialata *l. c.*

Ad flum. Cygn. Drumm. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)
» » » Preiss. 1444-1476-1514-1574.

Sunt herbae e basi multicipite erectae, simplicissimae, fere 0,3 longae; radices sunt simplices, fusiformes, 0,05 longae; rami vix ima basi teretes, dein subtriquetri, fere tota longitudine complanati, nervo medio altero latere carinati, altero

sulcati, glaberrimi, longe-articulati, ad articulationes constricti; articuli elongati, 0,07-0,10 longi, 0,003 lati, summi acuminati; folia e basi latiore lineari-acuminata, 0,005-0,008 longa, integerrima, glaberrima, erecta, decidua; pedunculi axillares, solitarii, aut 2-3-ni, aggregati, tenuissimi, teretes, dichotomi, flexuosi, 0,04-0,07 longi; bracteae ad ramificationem unamquamque et ad basin pedicellorum minimae, lineares, acutae, ramo aut pedicello arcte adpressae, 0,001-0,002 longae, glaberrimae; pedicelli pedunculis consimiles, 0,008-0,02 longi, flexuosi, erecti; flores erecti, 0,01-0,012 longi, cyanei, interne flavescentes, glabri, extus griseo- adpresse piloso-tomentosi; calyx turbinato-obliquus, germini totus quantus adnatus; corolla tripartita, bilabiata; stamina erecta; filamentis ex albido-flavescentibus, complanatis; antheris ovato-oblongis, flavescenti-badiis; stigma nutans, glabrum; indusium imberbe, albescens; fructus non vidi.

Tab. XVIII. Fig. 1. Ramus florifer. 2. Flos. 3. a dorso. 4. a facie. 5. Lobus anterior. 6. Stamina et pistilla. 7. Antherae inter se conjunctae. 8. Antherae in facie et in dorso visae. 9. Stigmatis indusium. 10. Stigma ipsum.

34. D. ALATA. (†)

Herbacea, erecta, caule triptero, paniculato; foliis glaberrimis, oblongo-, sive lanceolato-obovatis, integerrimis, basin versus attenuatis, apice acutis aut obtusiusculis, margine revolutis, glaberrimis, dorso nervo medio imprimis versus basin carinatis, supra sulcatis; pedunculis filiformibus, glabris, apice paucifloris; corollis externe nigro-barbatis, villis plumosis.

D. alata *Lindl. Reg. Sw. Riv. Col. bot. reg. vol. XX.*
» » *de Vriese Anal. Gooden. p.* 18.
» epiphylloidea *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 402.

Ad flum. Cygn. Drumm. 1839 (*Herb. Lindl.*)
» » Preiss. (*Herb.* 1494)

Herbae e basi multicipite rectae, glabrae, 0,28 altae, ramosae; caules (aut rami) late-alati, articulati, ad articulationes angustati; articuli 0,03-0,04 longi,

0,004-0,01 lati; folia 0,06-0,015 longa, 0,014-0,015 lata; bracteae ad basin pedunculorum binae, oppositae, minutae, lanceolatae, acutae, 0,021 longae, erecto-patentes, glabrae; flores 0,014 longi, erecti; calyx primum obconicus, deinde procedente evolutione magis elongatus; stylus 0,005 longus; stigmatis indusium crassiusculum, glabrum, subbilabiatum, imberbe. Fructus non visus est.

34. D. CORONATA. (†)

Herbacea, erecta, caule triptero, paniculato; foliis glaberrimis, inferioribus obovato- vel lanceolato-cuneatis, basi longe-attenuatis, acutis, inciso-serratis, aut dentatis, subdenticulatis, fere integris; superioribus angustioribus, lineari-lanceolatis, acuminatis, basi paullo attenuatis, integris et integerrimis, summis subulatis; floribus pedunculatis corollae pilis nigris adpressis; ovario hinc gibboso, calyce 5-dentato, coronato.

D. coronata *Lindl. Veg. Sw. Riv. Col. B. R. Vol. XX.*
» » *de Vriese Anal.* p. 18
» trigona » » *Pl. Preiss. l. c.* n°. 1471.

Ad flum. Cygn. Drummond 1839 (*Herb. Lindl. Preiss. Hook. Vind. Deless.*)
N. Holl. Cunningh. (*Lindl. Herb.*)

Caulis et rami ima basi teretes, exsiccatione sulcati, altius triquetri, imoque trialati, ala ad latus folio oppositum plerumque latiore; rami tenuiores erecti, aut erecto-patentes, 0,1-0,13 longi, glaberrimi, apice floriferi; folia inferiora obovato-s. lanceolato-cuneata (etc. uti in diagnosi), 0,03-0,05 longa, 0,006-0,01 lata; pedunculi 0,003-0,004 longi, erecti, externe pilis raris adspersi; corolla ampla, patens, profunde 3-partita, externe fusca et pilis minutis, strigosis, lucidulis conspersa, interne flavida, glabra et limbo explanato-lilacina, glaberrima; stamina exserta, erecta; stylus eadem 2-3-plo superans, 0,004-0,005 longus, apice incurvus; stigma crassiusculum glabrum, indusium imberbe.

35. D. REPENS. (†)

Herbacea, prostrata, caule repente, foliis erectis, obovato-oblongis, coriaceis, glabris, marginibus incrassatis, subhirsutis, apice acutis; floribus sessilibus, axillaribus; bracteis lanceolatis, membranaceis, calycis margine subnullo, corolla externe flava, villosa, interne tubo lanato, lobis glabris; stigmatis indusio ciliato.

In arenosis prope urbiculum Perth. Herb. Preis. n°. 1519.

Scaevola repens *de Vriese in Lehm. pl. Preiss.* n°. 406.

Sunt caules repentes, pennam corvinam crassi, flavi, articulato-nodosi. Folia sessilia, sed basi dilatata, et nervo medio ibi incrassato instructa, uninervia, nervo crasso, versus apicem dilatata, fere coriacea. In parte latiore fere 0,01-0,02 lata, et 0,1 longa. Calyx brevissimus, fere sine limbo, una cum media parte loborum corollae pilosus, denseque pilosus.

Hujus varietas est.

α. angustifolia, foliis angustioribus, quorsum pertinet specimen, ex arenosis umbrosis ad flum. Cygnorum, Jun. m. 1839 repertum. Herb. Preiss. n°. 1493.

37. D. CANESCENS.

Caulescens, glauca, tota glauco-pilosa, caule nodoso-decumbens; foliis obovatis, obovato-oblongis, subrevolutis, incrassatis, subamplexicaulibus, ad apices ramorum congestis; floribus axillaribus, aggregatis, glomerulatis; bracteis subopposititis, crassis, bracteolisque brevibus, limbo calycis obsoleto; corolla minima, sordide-alba; stylo tenuissimo; stigmate minimo, vix ciliolato.

Scaev. canescens *Benth. enum. pl. Nov. Holl. p.*

» glaucescens *de Vriese et* trinervis *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 410. *Herb. Preiss.* 1477-1497.

Vidi praeter specimina Preissiana ea Drummondii (24) in Herb. Hook. et Fraseri n°. 222 omnia ex ora fl. Cygn.

Habitus hujus speciei est maxime characteristicus. De genere, inspectis aliis speciminibus, melius judicandi mihi fuit occasio. Tota superficies est adpresse-pilosa. Nervus medius in foliis crassus, et margines reflexi, revoluti. Bracteae sunt elongatae, lanceolatae, floribus longiores. Calyx est pilosus, truncatus. Corollae lobi in dorso pilosi, apice dilatati. Folia ejusdem longitudinis sed latiora quam in specie praecedente; caeterum haec species ab omnibus reliquis Dampierae speciebus facile dignoscitur propter pubescentiam, colorem, flores minutos, glomerulatos.

Tab. XIX. Fig. 1. Ramus florifer. 2. Alabastrum. 3. Flos apertus. 4. Idem auctus. 5. Lobi corollae interne et externe visi. 6. Ovarium cum stylo et staminibus. 7. Antherae. 8. Indusium stigmatis. 9. Ovarium.

38. D? POLYGALACEA.

Herbacea, erecta, stricta, caule terete; foliis patentibus, superioribus, erecto-patentibus, anguste oblongo-lanceolatis, acutis, basi attenuatis, margine revolutis, supra glabris, laete viridibus, subtus dense cano-pubescenti-tomentosis, pilis ramosis, intertextis; floribus axillaribus, solitariis, ad apicem caulis inter folia congestis; calyce candide-lanato, laciniis angustissime linearibus, acuminatis; corolla externe lanata, interne hirta; stigmatis indusio amplo, ad marginem candide-ciliato; fructu 5-costato.

S. W. Australia. 356 Drummond (*Herb. Hook.*)

An revera Dampiera sit non certo scio. Ab hoc genere differt; calycis limbo, corollae structura et stigmate.

Sunt herbae erectae, strictae, subsimplices, 0,27 altae; caulis est teres, basi sublignosus, glabratus, defoliatus, supra medium dense foliatus, hinc inde ramulosus, densissime flavescenti-albido-tomentosus, subangulatus; folia 0,035-0,02 longa, 0,008-0,006 lata; calycis laciniae 0,005-0,006 longae, vix 0,001 latae, erectae, persistentes; corolla tota in dorso fissa et profunde 3-partita; laciniae binae sunt

ad fissurae latus utrumque simplices, labium superius formantes, tertia major 3-fida|; stamina 5-tenuia, 0,003 longa, tota libera; filamenta filiformia, tenuissima; antherae erectae, lineari-oblongae, apice mucronatae; stylus staminibus paulo longior cum stigmate 0,005 longus et cum eo pilis patentibus candidis vestitus.

Dampierae polygalaceae, juxta Hookeriani herbarii specimen, descriptio.

Herbae erectae, strictae, subsimplices, 27 cntm. altae; caulis teres, basi sublignosus, glabratus, defoliatus, supra medium dense foliatus, hinc inde ramulosus, densissime flavescenti-albido-tomentosus, subangulatus; folia patentia, superiora, erecta, patentia, summa erecta, anguste oblongo-lanceolata, acuta, basi attenuata, margine revoluta, 35-20 mllm. longa, 5-6 mllm. lata, supra glabra, laete viridia, subtus dense cano-pubescenti-tomentosa, e pilis ramosis, ramis patentissimis acutissimis, infimis integro pilo aequilongis, inter se intertextis; flores axillares, solitarii, sessiles, ad apicem caulis inter folia congesti, toti pilis candidis antrorsis lanuginosi, 14 mllm. alti, ampli, bractea angustissime lineari-subsulcata, dense candido-lanata suffulti; calyx pariter candido-lanatus; tubus turbinatus, angulato-costatus, 2 mllm. altus, germini totus adnatus; limbus tubo plus duplo longior, 5-partitus; laciniae angustissime lineares, acuminatae, 5-6 mllm. longae, vix 1 mllm. latae, erectae, persistentes; corolla extus candido-lanatus, intus pilis albidis, longis, sparsis, patentibus hirta, 12-13 mllm. longa, ad limbi marginem 10-11 mllm. transverse lata, dorso toto fissa et profunde 3-partita; laciniae binae ad fissurae latus utrinque simplices, labium superius formantes, tertia major, 4-fida, inferius repraesentans; laciniae lineari-oblongae, margine utraque ala tenui, glaberrima, undulata, lilacina?, siccando flavescente ad apicem usque praeditae indeque subtruncato-cuneatae; stamina 5 tenuia, 3 mllm. longa, tota libera; filamenta filiformia, tenuissima; antherae erectae, lineari-oblongae, longitudinaliter rima duplici dehiscentes, apice mucronulatae; stylus staminibus paulo longior, cum stigmate 5 mllm. longus et cum eo pilis patentibus, candidis vestitus; stigma Merkusiae; indusium sat amplum, ad marginem candido-ciliatum; fructus indehiscens, calycis limbo vegeto, laciniis paulo latioribus, erectis coronatus, turbinatus, 5 costatus, 2-2,5 mllm. longus, transverse apice 2 mllm. latus, monospermus, haud plane maturus; semen imperfectum vidi.

39. D. DIVERSIFOLIA

Herbacea, prostrata, glabra, caule multangulari; foliis coriaceis, aut majoribus, solitariis, oblongis, integerrimis vel subdenticulatis, aut minoribus fasciculatis; imo folio reliquis majore; floribus axillaribus; corolla coerulea, interne glabra; stigmatis indusio obscure-coeruleo, margine nudo, contracto.

D. diversifolia *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 403.
» prostrata » » *l. l.* n°. *Herb. Preiss.* 1469 *et* 1504.

Ad flum. Cygn. Preiss. Drumm. (*Herb. Hook.*)

Herbae pumilae, caespitosae, habitu Gentianae alpestris aut Saxifragae cujusdam, dense, foliatae, e basi multicipite subterranea multicaules, rigidae; caules prostrati et adscendentes, tenues, angulati, glabri, simplices, aut fasciculatim ramosi; folia sunt coriacea, glabra, infima oblongo- aut cuneato-lanceolata, 0,015-0,02 longa. 0,003-0,005 lata, nunc autem oblongo-lanceolata, acuminata, basi attenuata, integerrima, 0,017 longa, 0,003 lata; superiora et pleraque oblongo-lanceolata, aut oblongo-obovata, basin versus paulo attenuata, apice acuta, supra medium in margine utroque denticulo 1-2 praedita, 0,007-0,01 longa, 0,003-0,004 lata; summa reliquis valde angustiora, linearia, vix 0,001 lata, in axillis foliorum saepe ramus valde abbreviatus, cujus folia exinde fasciculata 2-5, quam folium sustinens multo angustiora et minora, foliis summis subaequalia, integerrima aut subdenticulata, caespitem densum formantia; flores in ramis axillaribus foliatis terminales, erecti, pro ratione totius herbae magni, coerulei, 0,001 longi; pedunculi breves vix 0,001 longi, glabri; calyx turbinatus angulatus, germini, florique adnatus; limbus liber 5-dentatus; dentes minuti, erecti, ovati, acuti, persistentes; corolla ampla, coerulea, profunde 3-partita, externe pube densa adpressa, flava praedita; antherae cohaerentes; stylus eas longe superans, apice incurvus; stigma nutans, glabrum; fructus obovato-oblongus, basi attenuatus, calyce coronatus, unilocularis. vacuus. (Ad spec. Herb Hook. a Drummondio lectum.)

40. D. VERREAUXII.

Radice lignosa, multicipite; foliis oblongo-spathulatis, acutis, uninerviis, utrinque griseo-lanatis, erectis, subcaespitosis; caulibus tenuibus, teretibus, ad nodos geniculatis, fere aphyllis, racemis terminalibus; pedunculis, di-, vel raro trichotomis, tenuissimis, ad dichotomiam et ad basin pedicellorum opposite-bracteolatis, medio plerumque pedicello aboriente; calycis pube patentissima, corollae lobis in dorso griseo-pilosis, lateribus alatis; antheris connatis, stylo exserto, apice incurvo, indusio stigmatis margine dense albo-ciliato.

Nov. Holl. specimine mihi humanissime oblato cum multis aliis plantis Novae Hollandiae, a Celeb. Inventore Verreaux, dum hoc anno 1850 in nostra urbe degebat. Plurimas etiam alias stirpes ab hoc Naturae Investigore repertas et ad Goodenovieas relatas, vidi in Herb. Musei Horti Parisiensis.

Planta pedalis. Longa sunt folia 0,05-0,06, lata sunt 0,015, lana densa, alba, grisea sunt obtecta. Ad nodos caulis sunt foliola linearia, vix 0,01 longa et 0,001 lata, densa albo-pilosa; bracteae inferiores sunt dorso lanatae, supra vero glabrae, superiores sunt lineares, glabrae; pedicelli sunt fere capillares; pubes calycis est nigra, longa, horizontalis, corolla parva, laciniis in medio fuscis, hirsutis, in latere alis albis; stigma incurvum, quasi involutum; indusium glabrum, margine ciliatum.

Tab. XX. Fig. 1. Ramus florifer. 2. Flos. 3. Calyx. 4. Lobi corollae. 5. Stamina. 6. Stylus. 7. Stigmatis indusium. 8. Ovarium ablato calyce. 9. Idem apertum. 10. Dissepimentum. 11. Semen.

41. D. ERIOCEPHALA.

Foliis omnibus radicalibus elongatis, lato-, et longe-spathulatis, trinerviis, discoloribus, dorso niveo-lanatis, in superficie viridibus, glaberrimis; scapo aphyllo, longissimo, fere pedali, plane nudo, hinc glabro, illinc lanato, profunde sulcato, hinc angulato; flores in capitulum densum, lanugine alba, longissima tectum, inter bracteas elongatas,

vel lanceolatas contenti; calyce supero, brevissimo, adnato; corollae lobis dorso lanatis, interne glabris, antheris connatis; stylo antheras superante; stigmatis nutantis indusio nigro, haud piloso, sed denticulato.

Vidi (in *Herb. Mus. Caes. Vind.*) spec. Drummondi ex Nov. Holl. Austro-Occidentali et ad Flum. Cygn. et K. G. S. Spec. Hügelii. — Porro in Herb. Delessert et in Herb. Hookeri, nempe specim. a Drummondio lecta, sub n°. 17, 1842. — 397, 1843. — 55, 1845.

Foliorum forma, nervi, color omnem fere supervacaneam reddunt descriptionem. Horum autem longitudo est 0,1-0,12 latitudo quidem in medio 0,01-0,02. Inflorescentia constat capitulo denso, in quo flores reconduntur in lana alba, longissima, in bracteis lanceolatis, vel linearibus, fere 0, 02 longis et 0,003-0,004 latis.

Tab. XXI. Fig. 1. Planta tota. 2. Flos apertus. 3. 4. 5. Lobi florales. 6. 7. Alabastra. 8. Stylus. 9, Idem cum antheris. 10. Antherae.

Obs. D. inundata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 404.

Olim cum dubitatione ad hoc genus relata, nunc inspectis speciminibus magis completis Herb. Mus. Caes. Vindobonensis, sine ullo dubio mihi constat esse Stylidium. Ergo e Dampieris excludenda.

IX. LINSCHOTENIA.

Calyx superus, corollae adnatus et in ejusdem lacinias productus. *Corollae* 5-fidae tubo hinc fisso, lobis majoribus, margine utraque auriculato-crispis, alatis, duobus minoribus lanceolatis, interne *appendice* proprio *cuculliformi* instructis, in anthesi omnibus involutis. *Antherae* imberbes, cohaerentes. *Filamenta* libera, subflexuosa. *Ovarium* uniovulatum. *Stylus* curvatus. *Stigmatis* indusium ore nudum. *Semen* in nuce solitarium

Suffrutex Novae Hollandiae Tropicae, caulibus, ramis, tota inflorescentia cano-tomentosa, lana sive tomento denso, albo, sive albo-flavescente instructa, excepta solum pagina superiore foliorum; foliis oblongis, oblongo-ovatis, superne viridibus, dorso albis. Inflorescentia paniculata, floribus brevi-pedunculatis vel sessilibus, ad insertionem lanae albae densae quasi immersis. Dampierae proxima, at plurimis characteribus ab ea diversa, imprimis vero habitu et paracorolla cuculliformi qua ab omnibus Goodenoviearum generibus differt.

1. L. DISCOLOR.

Suffruticosa, erecta, albo-lineata; foliis alternis, petiolatis, oblongis, acutis, integris, planis, superne pallide viridibus, glaberrimisque, in dorso densissime albo-lanatis. Flores paniculato-spicato-racemosi, lana griseo alba obtecti; basi bibracteolati; corollae quinque-lobae, externe griseo-lanatae, lilacinae; paracorollae nigrescentes.

In Nov. Holl. Sub-tropica, anno 1846 legit Vir Nobil. Praefectus militaris T. L. Mitchell; sub num. 321 in Herb. obvia, nobisque ab Ill. Viro Joh. Lindlejo. Professore Londinensi oblata. Cfr. Sir T. L. Mitchell, Journ. of an exp. into the interior of tropical Australia. Lond. 1848. 340-345.

Planta elegantissima, inter Dampieras persimilis D. Reinwardti, ut videtur, suffruticosa. Caulis est teres. Folia sunt alterna, fere 0,07 longa et 0,025 lata, petiolata, petiolo ad insertionem quodammodo crassiore, fere 0,005 longa, integerrima, utrinque acuta, nervo medio crassiore, subtus lanata, fere alutacea, albissima, superne viridia, opaca, bracteae lineari-lanceolatae, acutae, 0,005-0,002 longae, in utraque facie lanatae; rhachis elongata, 0,15-0,25 longa, inferne albo-lanata, sursum fusco-lanata. Pedunculi communes (rami) 0,05-0,1 longi, patentes, alterni, incurvi, apice erecti, griseo-tomentosi. Flores alterni, sessiles, basi bracteolati, bracteolis suboppositis; calyces villosi, limbis obsoletis, in corollae lacinias productis; corollae lobis in marginibus inflexis, externe medio calycis instar

lanatis, interne glaberrimis; cucullis (paracorollis) badiis, convexis, imo latere hiantibus, interiori mediaeque loborum parti affixis; filamenta libera sunt filiforma, subflexuosa; antherae sunt his continuae, glabrae. Stigma capitatum, indusio imberbe.

Tab. XXII. Fig. 1. Ramus. 2. Flos antice cum cucullis. 3. A latere visus. 4. 5. Lobus interne et externe visus. 6. Stamina. 7. Stylus. 8. Indusium ab apice visum.

GOODENIEAE.

X. GOODENIA.

Calyx superus, limbo 5-partito, laciniis aequalibus. *Corolla* irregulariter bilabiata, tubo postice fisso, lobis aestivatione induplicatis. *Stamina* quinque corollae adnata, filamentis liberis, antherisque distinctis, dum in juniori statu cohaerent. *Stylus* simplex. *Capsula* bilocularis, abortu unilocularis, septo parallelo saepe abbreviato. *Semina* plurima, imbricata, compressa.

Plantae herbaceae, raro suffruticosae, e Nova Hollandia, Nova Zeelandia vel Terra van Diemen ortae, foliis alternis, integris, dentatis, crenatis, incisis; floribus axillaribus vel terminalibus; pedicellis bibracteatis vel ebracteatis; corolla flava, coerulea, vel purpurascens, bilabiata, laciniis alatis, alis aestivatione induplicatis, raro apteris, tubo quandoque gerente glandulam vel sacculum nectariferum, fissurae oppositum. Antherae imberbes, raro apice subbarbatae; capsulae figura varia, apice vel valvis dehiscens, iisque integris vel bipartitis.

Ill. Rob. Brown quinque aut sex admisit sectiones, ad quas retulit species hujus generis. Harum tres priores constituunt proprium genus Goodeniam. Quarta sectio, in qua corolla uni-

labiata, et stigma bilobum, cujus indusium est corollae labio contrarium, nunc novum constituit genus. Quinta sectio A facit genus Sellieram Cav. et B probabiliter etiam novum constituere debet genus. Sed est imperfecte cognita planta, quae huc ab Ill. Auctore refertur.

Sectiones Candolleanae vix retineri possunt. Quae his circumscribuntur species universe sunt parum inter se affines, neque characteribus etiam Sectionum respondent. Sect. II. IV. VI. forsan etiam V. peculiaria constituunt genera.

Excluduntur e Goodeniis Candolleanis *G. pulchella* Benth. *coerulea* Br. et probabiliter etiam excludere oportet *G. pumilionem;* e Preissianis *G. junciformis* de Vriese et *pygmaea* ej. Utraque est *Anthotium* Br.

Smith trans. Linn. Soc. 2 (1794) *p.* 347. *Labill. nov. Holl. I. p.* 52. *t.* 75. *Rob. Brown. prodr.* 575. *Roem. et Schult.* 5. *p.* 867. *G. Don. Gen. syst.* 3. *p.* 723. *Selliera Cav. ic.* 5 (1799) *p.* 49. *t.* 474. *fig.* 1. *Goodenia et Selliera Endl. gen. pl. n°.* 3043 *et* 3042. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 412. *Benth. in Hug. enum.*

1. G. BELLIDEFOLIA. (†)

Scapo elongato, aphyllo, superne hic illic bracteato; spica simplici, elongata, remotiflora; foliis radicalibus planis, lanceolato-spathulatis, in petiolum attenuatis, acute (vel et repando-) dentatis, subincisis; floribus bracteolatis, pedunculatis; calycibus villosis; corollis flavis, lobis alatis in dorso pubescentibus, apice submucronulatis; stigmatis aliquando exserti indusio villoso, saepe bilabiato, ciliato, labiis corollae lobis parallelis.

G. bellidifolia *Smith trans. Linn. Soc. II.* 349. *Br. prodr.* 575. *de Cand. prodr. V.* 513.

Nov. Holl. spec. Illustr. Rob. Brown — Nov. Holl. Port Jacks. (floribus tamen magis approximatis, foliis vix dentatis aut repando-dentatis) a Ferd. Bauero communicatum. — Spec. Lhotzky VIII. 1837. — Hügel, Australia Orientalis. — Smith Botany bay. — N. S. W. Hügel. (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*)

N. S. W. spec. Clowes. ej. prope Sydney (*Herb. Hook.*)

Nov. Holl. Sieber. 230.

Vidi spec. Auct. in Mus. Paris.

Adumbratio speciminis Browneani.

Herba humilis, erecta, glabriuscula; caulis valde abbreviatus, foliatus, apice in spicam longe pedunculatam transiens, cum hoc 0,15-0,25 longus, folia ut vulgo dicunt, omnia radicalia, plana, lanceolato-spathulata, in petiolum longe attenuata, acuta, mucronato-serrato-dentata, aut inciso-serrata, 0,04-0,08 longa, 0,005-0,015 lata, utrinque glaberrima, juniora subtus pube minuta, dein decidua obsessa; pedunculus terminalis, basi nudus, apice spicam gerens, erectus, striatus, angulatus, primo minute puberulus, deinde deglabratus, ad florum insertionem bracteatus. Spica primo densa, sublanata, deinde sensim elongata, basi rariflora, deglabrata; bracteae parvae e basi lata acuminatae, 0,003-0,004 longae, pedicelli axillares, brevissimi, vix 0,001 excedentes, medio bibracteolati, et in inferioribus in bracteolarum axillis rudimenta gemmarum novellarum gerentia haud evolutarum; bracteolae lineari-lanceolatae, 0,002 longae, persistentes; calycis tubus 0,001 longus, obconicus, tomentosus, in junioribus lanato-tomentocus, limbus 0,003 longus, 5-partitus; laciniae angustae, lineares, acuminatae, erectae, deinde glabratae; corolla externe pube incano-obtecta, lanata, deinde paulo minus dense puberula, flavescenti-albida, erecta, 0.008 longa et lata, dorso tota fissa, bilabiata; laciniae binae laterales simplices, labium superius referentes, intermedia trifida; laciniae omnes lineari-lanceolatae; stamina et stylus e fissura dorsali exserta, stamina libera. Stigma erectum, complanatum, glabriusculum, ad marginem dense ciliato-barbatum. Fructus desunt.

2. G. SPATHULATA.

Scapo angulato, villoso, elongato, aphyllo, bracteato; bracteis oblongis, apice denticulatis; spica simplici, elongata, remotiflora; foliis omnibus radicalibus, spathulatis, apice rotundatis vel emarginatis, basi in

petiolum attenuatis, integerrimis, glabris; floribus bracteolatis, longius vel brevi-pedunculatis; calycibus villosis; corollae flavae laciniis anguste-alatis in dorso pubescentibus; stigmatis exserti indusio badio, villoso, ciliato.

»Australasia". Aliud »Australasia Botany Bay. Hügel. (*Mus. Caes. Vindob.* postremum spec. culb.)

Herbacea, circiter 0,4 longa; radice simplici, lignea, tortuosa. Folia rosulata, 0,06 longa et 0,02 lata, erecta, externa majora, interna minora, emarginata, uninervia. Scapus 0,39 longus, in tota superficie villosus. Flores alterni, tubo calycino longo instructi; corollis elongatis, ante anthesin villosissimis. Differt a speciebus vicinis forma foliorum spathulata et integerrima, caule villoso, bractearum forma; lobisque corollinis angustis, alatis, albis.

3. G. STELLIGERA. (†)

Caule nudiusculo, spica remotiflora, pubescente, foliis radicalibus carnosis, semiteretibus, linearibusve, glabris, apice denticulatis; corolla externe pilis simplicibus pubeque stellata vestita.

G. stelligera *Br. prodr.* 575. *de Cand.* 5. 513.

Vidi spec. Brownei, ex Nov. Holl. — Port Jacks. Ferd. Bauer. Sieb. n°. 229. Australasia N. S. W. Hügel. (*Mus. Caes. Vindob.*)

Postremo loco citata specimina sunt 0,34-0,72 longa; folia in iisdem sunt 0,10 longa; flores magni sunt, bracteati, bracteis linearibus, vel lanceolatis, patentibus, florem plerumque aequantibus.

Descriptio speciminis Auctoris.

Herbae erectae, glabriusculae, 0,2-0,3 longae, caulis strictus sulcatus, teres; folia radicalia plura ad caulis basin congesta, longiora, linearia, basin versus attenuata, ima basi dilatata et caulem amplectentia, indeque hoc organon quasi in formam bulbi incrassatum referentia, apice erecta, 0,03-0,07 longa, 0,001-0,002

lata, superiora sensim breviora, e basi latiore linearia, 0,012-0,025 longa, omnia integerrima aut vix hinc inde subdenticulata, glabra, in apice caulis in spicam lanatam mutata, sensim diminuta, bracteasque referentia lanceolato-lineares acuminatas, 0,003-0,005 longas; spica terminalis, basi rara, apice dense lanata, pubescens, plerumque simplex; pedunculi axillares, nunc folio aut bractea sua longiores nunc breviores, nunc valde abbreviati, nunc uniflori, medio bibracteolati, nunc in axillis bracteolarum flores solitarios gerentes, triflori; flores ampli, erecti, 0,015 longi, externe toti lanuginoso-puberuli; calycis tubus cylindrico-turbinatus, costatus; limbus 5-partitus, laciniae lineari-lanceolatae, acuminatae, 0,003 longae, tubum longitudine superantes; corolla dorso tota fissa, bilabiata, tripartita, laciniae binae marginales labium superius referentes, intermedia inferior, trifida, lacinulae omnes lineari-lanceolatae, acuminatae, externe dense puberulae exceptis tamen alis, quae sunt latae, glabrae; stamina libera, e corollae sutura dorsali exserta; stylus haec duplo excedens, 0,006 longus, strictus, robustus, pilis patentibus hirsutus, stigma amplam, cupuliforme, argenteo-sericeum, ad marginem indusii dense barbatum, ciliatum; fructus desunt.

4. G. PANICULATA. (†)

Caule simplici, paniculato, subflexuoso, patenti-hirtello-pubescente, foliis radicalibus elongato-lanceolatis, linearibusve, vel spathulatis, remote-dentatis, incisisve, caulinis elongatis, saepe pauci-dentatis, supremis linearibus; pedunculis tenuibus, bracteatis, bracteis oppositis; calycis pilis hirtis, laciniis patentibus, apice glanduliferis, linearibus, vix ⅓ tubi partem requantibus; corollae laciniis alatis; stigmatis saepe exserti indusio nutante, vix ciliato.

G. paniculata *Smith in Trans. Linn. Soc. II. p.* 349. *Willd. sp. pl. I.* 954. *Cavan ic. VI. p.* 5. *t.* 507. *Br. prodr.* 575. *de Cand. prodr. VI.* 513. (*Bontonia pomifera Hort. Erf. ex Steud.*)

Nov. Holl. Rob. Br. (*ex Viri Ill. herb.*)
» » Ferd. Bauer. Port Jackson.
» » Hügel. Hortus Bot. Bay.
(Postrema specimina omnia ex *Mus. Caes. Vind.*)

Descriptio speciminis Herbarii Brownei.

Herbae sunt humiles, graciles, florentes 0,20-0,25 longae; caulis basi foliis radicalibus cinctus, dichotome-paniculato-ramosus, teres, puberulus; rami axillares inferiores 3-flori, superiores 1-flori, folio suo longiores, patenti-erecti, aut patentes; folia inferiora obovata, aut obovato-oblonga, basi in petiolum attenuata, apice acuta, serrulata, aut inciso-serrata, 0,02 longa, fere 0,008 lata, nunc lineari-oblongo spathulata, 0,03 longa, 0,004 lata; folia superiora linearia, acuminata, patentia, 0,015-0,025 longa, 0,001-0,002 lata, serrulata, in summo caule sensim in bracteas subulatas, 0,004 longas, transeuntia; pedunculi axillares, supra medium bibracteolati; flores erecti, flavi; corolla glabriuscula, pilis sparsis hinc inde tecta, dorso tota ad basin fissa; stigma erectum, campanulatum, glabrum, margine ciliatum.

5. G. FLEXUOSA.

Caule ramoso, ad extremas ramificationes usque flexuoso, paniculato, glabro; foliis radicalibus elongatis, lineari-lanceolatis, saepe apice latioribus, spathulatis, acute- vel acuminato-dentatis, laciniatis, vel subpinnatifidis, caulinis linearibus, integris, panicula ramosa, ramis tenuibus, flexuosis; floribus pendulis; calycis ovati, pilosiusculi, glanduloso-pilosi laciniis brevibus, linearibus; corollae lobis alatis, alis flavescentibus; stylo lanuginoso, stigmatis exserti indusio tenuissime ciliolato.

Nov. Holl. Port Jacks. spec. Ferd. Baueri (ex *Mus. Caes. Vindob.*)

Fere 2-pedalis, tota glabra, excepto calyce. Folia radicalia saepe 0,10 longa, et ad apicem fere 0,005-0,01 lata, deorsim multo angustiora. Pedicelli valde tenues, bracteolis oppositis, linearibus instructi, valde flexuosi; hinc etiam flores variam sequuntur directionem, plerumque tamen sunt nutantes. Differt species a praecedente, cui valde est analoga: foliis radicalibus, panicula composita, omnibus partibus axilibus flexuoso-curvatis, pedunculis communibus haud tri- sed multifloris, floribusque ipsis multo minoribus; in reliquis magna analogia est inter utramque.

6. G. LONGIFOLIA.

Caule elongato, foliato, sursum bracteato, spica simplici, villosa; foliis radicalibus planis, lineari attenuato-spathulatis, apice rotundatis, integerrimis; floribus brevi-pedunculatis; calycibus villosis; corollis flavis, lobis dilatatis, alatis, in dorso pubescentibus; stigmatis exserti indusio saepe ciliato.

Nov. Holl. Sydney. Herb. Hook. specimen unicum.

Planta herbacea, caule adscendente hic illic nodoso, fere 0,3 longa. Folia alia radicalia, fere 0,07 longa, apice vix 0,005 lata. Alia caulina, quae multo breviora, basi subamplexicaulia et apicem versus usque decrescentia. Flores solitarii, bracteati, flavi, axillis lanatis. Caetera fere ut in specie praecedente, cui admodum affinis est, et a qua tantum differt foliorum forma et caule foliato.

Descriptio specim. Herb. Hookeri.

Herbae graciles, habitu Primulae cujusdam e vicinitate *P. veris*, 30-35 cntm. altae, glabrae; caulis simplex, basi magis foliosus, apicem versus foliis raris, tantum obsessus, aut fere nudus et in spicam plus minus densam, basi subpaniculatam transiens; folia coriacea glabra, a basi caulis apicem versus sensim magnitudine diminuta, elongato-spathulato-linearia, 75-55 mllm. longa, 5-4 mllm. lata, superiora lineari-oblonga 20-15 mllm. longa, 3-2 mllm. lata, integerrima, basi semi-amplexicaulia, summa sensim bractealia, minora; bracteae ut apex inflorescentiae minute puberulae, anguste lineares, acutae, erectae, flores in axillis bractearum solitarii, subsessiles, ampli, pallide flavescentes, 17-18 mllm. alti; calycis et corollae alabastrum obovato-clavatum, villosissimum, e pilis aureo-fulvis, longis, densissimis; calycis tubus germini adnatus, villosissimus; limbus 5-partitus, erectus; laciniae persistentes, glabratae, lineari-lanceolatae, acutae, 3 mllm. longae, vix 1 mllm. latae; corolla dorso tota ad basin fissa, extus puberula, intus subglabra; limbus 5-fidus; laciniae oblongo-lanceolatae, acuminatae, ala ampla margine undulata, apicem versus latiore ad marginem utrumque praeditae, indeque subrotundo-obovatae, subtruncatae, basin versus cuneatae; stamina et stylus e fissura corollae dorsali exserti, eaque multo minores; stamina 5 libera, 4 mllm. longa; filamenta tenuia pallida erecta, complanata; antherae oblongae, demum acutae, utrinque ad marginem rima longitudinali dehiscentes; stylus stamina excedens, stigma pariter

pilis hisce tectum, sat crassum, et indusium ad marginem dense longiterque ciliato-barbatum; fructus desiderantur.

7. G. GRACILIS.

Glabra, caule (scapo) vix foliato, panicula simplici vel composita; foliis radicalibus lineari-lanceolatis, linearibusque, integerrimis, crassiusculis; calycis laciniis et corollae lobis glanduloso-pubescentibus, stigmatis longe-exserti indusio ciliato.

G. gracilis *Br. prodr.* 575. *Lodd. bot. Cab. t.* 1032. *de Cand. prodr. VII.* 513.

Vidi spec. Auctoris, e Nov. Holl. Ex eadem Ferd. Bauer, quod ½ superat longitudine spec. Browneanum (*Mus. Caes. Vind.*). Aliud (in *Herb. Hook.*)

Planta tota fere 0,35 longa, folia radicalia alia sunt lanceolata, 0,07 longa, 0,005 lata, sursum latiora, glabra, uninervia. In aliis longitudo est 0,17 et latitudo 0,002-0.003. Folia caulina sunt linearia. Pedunculi fere bis dichotomi, glabri; calycis quinquefidi laciniis linearibus, corollis dorso pilosis; stylo hirsuto, stigmatis indusio ciliato.

Sequitur descriptio speciminis Auctoris.

Herbae glabrae erectae, florentes 35 cntm. altae; cauli teres subangulatus, versus apicem paniculatim ramosus; folia infima, ut dicunt radicalia, elongato-lanceolata acuminata, basin versus longiter attenuata, imo basi caulem amplectentes; 8 cntm. longa, 8 mllm. lata; paulo altiora sed pariter vulgo radicalia dicta, lineari-lanceolata, 13-16 cntm. longa, 3 mllm. lata, superiora pariter anguste lineari-lanceolata, sed sensim breviora et in bracteas transeuntia 5 cntm.-15 mllm. longa, 2-1 mllm. lata, paniculae rami axillares erecto-patentes aut patentes imoque patentissimi, ultimi versus apicem bibracteolati, in axillis saepe florem 1 alterumve rudimentarium gerentes; calyx 4 mllm. altus; tubus turbinatus costatus; limbus 5 par, titus, laciniae lineari-lanceolatae, acuminatae, erectae persistentes, tubum aequantes longitudine; corolla 5 millm. alta flava, dorso tota fissa, pilis peduntissimis extus vix puberula, bilabiata, tripartita, laciniae collaterales binae labium superum referentes, simplices indivisae, intermedia trifida, laciculae omnes

oblongo-lanceolatae, acuminatae, utrinque ad marginem ala sensim apicem versus dilatata praeditae, indeque tomentoso-crenatae; stamina 5 libera stylum erectum, strictum, duplo superantia, 8 mllm. longa, hirsuto-pilosa; stigma erectum, glabriusculum, pallescens, campanulatum, ad marginem inciso-ciliatum; fructus desiderantur.

8. G. ARMERIAEFOLIA. (†)

Glabra, caule simplici, stricto, sub-aphyllo, foliis radicalibus linearibus, integerrimis, aut obsolete dentatis, subcoriaceis; caulinis brevioribus, valde distantibus; racemis paucifloris; pedunculis erectis, subtrifloris; floribus multi- et longe-bracteatis; calycibus corollaeque lobis dorso fulvo villosissimis, alatis; stylo et indusio barbato, margine ciliato.

G. Armeriaefolia *Sieb. fl. nov. Holl. exs.* 229. *de Cand. prodr. VII.* 513. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 412. *Anal. Good.* 67.

Nov. Holl. ad flum. Cygn. (*Preiss.* 2032). Marshes near Sydney, legit Backhouse (*Herb. Hook.*) — N. S. W. Byrde (*Hook.*) Nov. Holl. (*Lindley.*) Australasia Orient. Hügel. (*Mus. Caes. Vindob.*)

Planta fere 0,4 longa, herbacea. E communi rhizomate incrassato plures oriuntur caules glaberrimi, striati; folia radicalia sunt fere 0,025 longa, linearia; caulina sunt vix 0,01 longa, appressa, vel parumper a caule remota. Flores sunt racemosi, terni, distantes, fere sessiles; axilla quae flores gerit, lana densa est instructa. Haud raro duo flores aboriuntur. Bracteae sunt lineares. Corolla in dorso valde lanata est.

9. G. GLANDULIFERA.

Multicaulis, glabra, nodosa, stricta; foliis radicalibus paucis; caulinis linearibus, integerrimis, cauli accumbentibus; floribus terminalibus, longe pedunculatis, solitariisque, 2-bracteatis; bracteis oppositis, linearibus,

elongatis; ovario brevi, costato; calycis limbo brevi, 5-dentato; corollae lobis ovatis, alatis; fauce glandulosa; stamina inf undo corollae inclusa; stylo vix exserto, stigmatis pilosiusculi indusio ciliato, faucis glandulis immerso; capsula biloculari.

G. Armeriaefolia *Sieb.* — *de Vriese in pl. Preiss. ex parte* n°. 2032. I. 412.

Vidi in Herb. Delessert spec. e Col. flum. Cygn. Drumm. Oct. 1844. ib. Sieb. fl. nov. Holl. exs. (ex parte.) Herb. Preiss. l. c.

Planta fere 0,50 longa; radice simplici, fibrosa; e communi rhizomate plurimi oriuntur caules stricti, approximati vel paralelli, glabri, angulati, striati, hic illic quodammodo nodosi. Folia 0,02-0,01 longa, solitaria, vel 2-3-4na, ex eodem puncto enata, fere verticillata. Flores terminales, pedunculis adpresse-pilosis, valde elongatis (0,02-0,03 longis); bracteis binis, conniventibus, oblique sursum directis et calycem basi sua amplectentibus, linearibus, acutis. Corolla externe ad tubum leviter pilosa, atque adpresse-pilosa, interne glabra, glandulis longe-stipitatis.

Constitit nobis, collatis diversis speciminibus, in omnibus omnino herbariis hanc speciem G. Armeriaefoliae esse intermixtam.

10. G. TERETIFOLIA.

Caulibus ramosis, pilosis vel glabris, angulatis, subflexuosis; foliis radicalibus linearibus, rigidis, elongatis; foliis caulinis brevioribus, omnibus subteretibus; bracteolis solitariis, linearibus, minutis; pedunculis elongatis, teneris, incurvis; calyce piloso, tubo dilatato, laciniis linearibus, elongatis, reflexis; corolla elongata, magna, tubo interne piloso, lobis cyaneis, alis flavescentibus, dilatatis; stylo barbato; stigmatis indusio ciliato.

Scaevola tenera *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 409 (*ex parte*). n°. 1482 1442.

Nov. Holl. ad Sin. Reg. Georgii. (*Herb. Hook.*)
» » Preiss. l. c.
» » Spec. Drumm. 395. 1843. Spec. Huhnemam (*Herb. Del.*)

Herbacea, fere 0,45-0,50 longa, caule simplici, flexuoso, pilosiusculo vel glabro, foliis radicalibus linearibus, fere 0,02 longis, caulinis multo brevioribus, omnibus rigidis, caducis; calycis tubo in medio dilatato, subpiloso, laciniis tubo duplo longioribus. Corollae fere 0,01 longae, lobis cyaneis, valde dilatatis, alatis.

10. G. PUSILLA.

Herba vix pollicaris; foliis radicalibus spathulatis, pilosis; scapo radicali filiformi, unifloro; calyce adpresse-piloso; corolla flava; stigmate magno, longe ciliato.

Scaevola pusilla *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 412.

G. pumilio *Br.*? Valde dubito. Specimen tamen Brownei non vidi, ideoque non tuto de hac re possum effari.

Est herba minuta, 0,015 longa; caulis brevissimus; folia obovata, aut obovato-subrotunda, basi in petiolum longe attenuata, indeque spathulata, apice obtusa, imoque subrotundata, rarius acutiuscula, basin versus nunc antrorsum serrato-pinnatifida, cum petiolo 0,010-0,013 longa, 0,003-0,004 lata, utrinque pilis raris antrorsis, adpressis, albidis conspersa; pedunculi solitarii, erecti, graciles, filiformes, 0,006-0,008 longi; stylus complanatus, lanato-hirsutus, cum stigmate 0,003 longus; stigma villoso-pilosum, fissum et ad indusii marginem dense et eleganter candido-ciliato-barbatum.

11. G. HUMILIS. (†)

Caespitosa, caule (scapo) paucifolio, foliis fere omnibus radicalibus, glaberrimis, strictis, anguste lineari-lanceolatis, basi attenuatis, acutis,

integerrimis, pilosis; scapo tenui, subpaniculatim-ramoso; pedicellis, calycibusque patentim-pilosis; bracteis anguste-linearibus, oppositisque; corollae flavae laciniis alatis; indusio stigmatis bicornis ciliato.

G. humilis *Br. prodr.* 575. *de Cand. VII.* 513.

Nov. Holl. (Specim. Brownii Viri Illustr.)

Descriptio ad specimen Auctoris:

Herba pusilla, gracilis, 0,08 longa; folia radicalia; caulis in paniculam terminalem elongatus, paniculatus; folia inferiora elongato-lanceolata, acuminata, basi longe attenuata, ima basi caulem amplectentia, 0,05-0,04 longa, 0,006-0,004 lata, integerrima, vix denticulata, erecta; bracteis lineari-subulatis, 0,004 longis; pedunculus teres, gracilis, erectus, paniculatus, pauciflorus, puberulus; pedicelli supra bracteas cum calyce patentim dense puberuli, erecti, uniflori; calycis tubus erectus, costatus, cum limbo aequilongo, 5-partito, 0,005 longus, laciniae lineari-lanceolatae, acuminatae, erectae, persistentes; corolla 0,01 longa, flava, dorso profunde fissa, tripartita; laciniae binae collaterales, simplices labium superius referentes, intermedia trifida, inferius labium referens; lacinulae omnes lineari-lanceolatae, ad marginem utrumque ala sat lata apicem versus dilatata praeditae, indeque exciso-truncato-cuneatae; stamina 5 libera, cum stylo e fissura corollae dorsali exserta; stylus strictus, teres, 0,001 longus, pilis patentibus hirsutus; stigmatis indusium erectum, cupuliforme, ciliato-barbatum, stigma ipsum bicorne. Fructus desunt.

Tab. XXIII. 1. G. humilis. 2. Flos a latere visus. 3, 4. lobi externe et interne visi. 5, 6. Antherae. 7. Stylus. 8. Stigma.

12. G. NANA.

Pygmaea, tota hirsuta, foliis rosulatis, lanceolatis, linearibusque; pedunculis elongatis, incurvis, 2-bracteatis, unifloris; calycis laciniis linearibus; corollae flavae lobis rotundatis, medio acuminatis, hirtellis, elongatis; stigmatis indusio nigro, ciliato, externe una cum stylo piloso.

Flinders Island, in apricis in solo granitico. Bass tracts R. Gunn. Esq. (*Herb. Hook.* 1777.)

Plantula una cum floribus vix 0,02 longa, radice fibrosa; folia vix 0,01 aequant, basi angustiora, ibique densissime et longe lanuginosa; flore (pro exigua plantulae statura) magno, colore citrino, in dorso piloso, caeterum interne piloso.

13. G. GRAMINIFOLIA.

Caespitosa, acaulis, foliis glaberrimis, flaccidis, anguste lineari-elongatis, vel basi linearibus, sursum dilatatis, acutis, obtusis, integerrimis; scapo gracili, paniculatim-ramoso; pedicellis calycibusque patentim-pilosis; bracteis anguste linearibus; corolla bilabiatae, flavae laciniis alatis, lateralibus ab intermedia discretis.

George Town Rob. Gunn. Esq. (*Spec. Herb. Hook.*)
G. graminifolia *J. D. Hook. in Fl. Tasmanniae Spicilegio. Hook. Journ. of bot. Vol. III.*

»Herba flaccida. Radix fibrosa. Folia omnia radicalia, erecta, vel subpatentia, 2-3 unc. longa, 1-3 lin. lata, acuta vel acuminata, uninervia. Scapus foliis aequilongus vel paulo longior, pilosus, pilis albidis patentibus, superne paniculatim dichotome divisus, 3-5 florus; pedicellis filiformibus; bracteis 2-4 elongatis, anguste linearibus. Flores erecti, ½ unc. longi; ovario obovato, glanduloso-piloso. Corolla flava, laciniis spathulatis, emarginatis, pubescentibus, marginibus crenatis. Stigma ciliatum; stylo patentim piloso." (J. D. H. l. c.)

In Herb. Hookeri olim a me cum *G. humili* Br. confusa et ad hanc relata, sed separanda, et suo jure restituenda.

14. G. HISPIDA.

Strigosa, hirsuta, erecta, foliis caulinis sessilibus, elongato-lanceolatis, subdentatis; pedunculis solitariis, axillaribus, elongatis, fructiferis erectis; calycibus hispidis.

G. hispida *Br. l. c. de Cand. prodr. V.* 515.

Nov. Holl. ora sept. spec. Brownei.

»Herba strigoso-hirsuta, ramosa, erecta; rami teretes, foliati; folia elongato-lanceolata, acuminata, 0,04-0,06 longa, 0,006-0,008 lata, summa anguste linearia, 0,01-0,025 longa, 0,002 lata, omnia basi paulo latiora et caulem semi-amplectentia, ibique in margine dentato-auriculata, caeterum integerrima et margine revoluta, imprimis in nervo medio et in margine hispido-ciliata; pedunculi ad apicem ramorum axillares, rari, erecti, folio suo longiores, 0,025-0,027 longi, teretes, hispidi; calycis tubus erectus, campanulatus, germini adnatus, 0,002 longus, laciniis lineari-lanceolatis, acuminatis, uti tubus ipse hirsuto-pilosus; corolla flava; stamina et pistilla exserta; stigma magnum, robustum, cupuliforme, pilis densis obsitum, margine ciliato-barbatum." (Ad specimen Ill. Auctoris nobiscum communicatum.)

15. G. FILIFORMIS.

Glabriuscula, caule simplici, foliis radicalibus, filiformibus, caulinis minoribus; pedunculis terminalibus, umbellatis.

G. filiformis *Br.* 578. *de Cand. V.* 515.

Vidi spec. Illustr. Auctoris, ex Nov. Holl. ora Orientali.

Herba gracilis, tenerrima, glabra, 0,012 longa. Caulis filiformis, ad apicem tantum ramosus; pedunculis axillaribus. Folia plurima ad basin caulis congesta, radicalia, filiformia, teretia, stricta, aut apice incurva, 0,05 longa, ima basi dilatata; pedunculi erecti, axillares, stricti, filiformes, 0,020-0,025 longi; flores pallide flavescentes; calyx profunde 5-partitus; tubus campanulatus, vix 0,0005 longus, germini adnatus; corolla tota glaberrima, dorso ad medium tubum fissa; stamina et stylus e fissura tubi corollae exserti; stamina libera; stylus robustus, staminibus longior; stigma crassum, cupuliforme, erectum, extus dense pilis sericantibus tectum et ad marginem densissime et longe ciliato-barbatum. (Ad spec. Ill. Auct.)

16. G. STOLONIFERA.

Radice lignosa, stolonibus ex ejusdem apice horizontaliter productis proliferisque: foliis rosulatis, glabris, adpresse-pilosis vel rarius glabris, oblongis, vel obovato-oblongis, acutis, integris vel subdentatis; pedunculis radicalibus filiformibus, folia saepius superantibus, 1-2 floris, bracteatis, calycis laciniis linearibus, pilosiusculis; corollis flavis.

Nov. Holl. spec. Verreaux. (dedit celeb. Inventor.)

Herba pumila, caespitosa, vix 0,07 excedens; caulis lignosus, abbreviatus, pennae corvinae crassitiem habens vel superans, subterraneus, ramis brevibus, vix 0,01 longis, solummodo ad apicem caespitem foliorum et (stolones) ramos herbaceos proferens, ibique valde incrassatus, pulvinulum folia gerentem et inter folia dense candido-lanatum formans; rami horizontales, filiformes, 0,02-0,06 longi, radicantes et denuo ramos (stolones) emittentes; folia omnia in apice pulvinali congesta, caespitosa, rosulata, glabra, aut minutissime puberula, aut pilis sparsis adpressis, tenuibus hinc inde obtecta, oblongo-lanceolata, acuta, in sterilioribus hinc inde obovato-oblonga, in uberioribus lineari-lanceolata, acuminata, omnia basi longe in petiolum attenuata, cum petiolo in sterilibus 0,01-0,017 longa, 0,002-0,003 lata, in uberioribus 0,03-0,035 longa, 0,003 lata, margine nunc subintegerrima, nunc minute serrato-dentata, coriacea, aut in uberrimis submembranacea; pedunculi axillares, folia longitudine superantes, in uberrimis breviores, 0,002 0,005 longi, erecti, ebracteati, uniflori; flores 0,01 longi, externe pube minuta, albida, adpresse-pilosa; calycis tubus turbinatus, costatus, 0,001 longus; limbus 0,003 longus, 5-partitus, persistens, laciniae lineari-subulatae; corolla flavescens, dorso tota fissa, 3-partita, bilabiata; fructus subglobosus, vertice suo calycis limbo persistente cinctus, bilocularis; semina in unoquoque loculo plurima, discoidea, basi glabra, nitudula, punctulato-exsculpta, margine toto ala membranacea, pallida, flava, tenui cincta, imbricatim adscendenti-erecta.

17. G. GENICULATA. (†).

Herbacea, erecta, pubescens, eglandulosa, foliis longe-lanceolatis, dentatis; pedunculis 1-floris, elongatis, scapiformibus, medio bracteas lineares gerentibus, fructiferis geniculato-reflexis; calycibus corollisque pubescenti-villosis.

G. geniculata *Br. prodr.* 577. *de Cand. prodr. VII.* 514. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. p.* 413. n°. 1503. - *id. in pl. Mitchell.* (*Sir. T. A. Mitchell, Journ. of an exped. into the interior of Trop. Austr. Lond.* 1848). *Anal. Good. p.* 67.

In Nov. Holl. ora meridionali ad Port. Phillip. Austr. trop. Mitch. — Ins. van Diemen. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*) In Toby's insel. Preiss. n°. 1503. — Mus. Paris. Gunn.

Descriptio speciminis ab Ill. Auctore nobiscum communicati.

Herba adscendens, erecta, humilis; caulis abbreviatus, erectus, tantum foliis radicalibus praeditus, tum demum adscendens, laxe foliatus et apice foliorum tantum caespitem gerens, pilis tenerrimis, brevibus puberulus; folia obovato- aut lanceolato-spathulata, basi longiter attenuata, apice obtusiuscula, vix acuta, aut acuta, ima basi caulem semi-amplectentia, 0,003-0,007 longa, 0,013-0,015 lata, plurimum acute serrato-dentata, vel subintegerrima, erecta, juvenilia arachnoideo-albida, deinde deglabrata; pedunculi axillares, elongati, uniflori, folio duplo longiores, ad medium fere bibracteati, articulati et fructiferi, ibique reclinato-geniculati; juveniles arachnoideo-puberuli, adultiores glabrati, 0,10-0,12 longi; bracteae binae, oppositae, persistentes, lineares, erectae, acutae, 0,005 longae, 0,001 latae; corolla pallide-flava, minute puberula; stamina 5 libera; stylus puberulus; stigma campanalatum, erectum, ad indusii marginem ciliato-barbatum; fructus obovato-oblongus; calycis limbo persistente coronatus, bilocularis, bivalvis, polyspermus; valvae ad basin usque sejunctae, excavatae, a basi ad medium fere bipartitae; septum planum, obovatum, apice truncatum, fructus apicem haud attingens, solummodo ad insertionem limbi pertingens, valvis parallelum, deinde totum caducum; semina flava, lenticularia, compressa, glabra, imbricata, erecto-adscendentia.

Specimina Michelliana et illa Herb. Vindobonensis (a Lindlejo oblata) sunt juniora et foliis integerrimis instructa.

18. G. AFFINIS.

Herbacea, adscendens, lanata, eglandulosa, foliis radicalibus obovato-oblongis, in petiolum longe-attenuatis, basi dilatatis, semi-amplexicaulibus, caulinis obovato-oblongis, versus basin angustioribus, nec tamen in petiolum attenuatis, omnibus margine obsolete dentato-crenatis, aut subintegris, subundulatis, apice obtusis aut obtusiusculis, utrinque dense incano-tomentosis; pedunculis unifloris, medio bibracteatis, fructiferis geniculato-inflexis; calycibus corollisque lanatis.

Scaevola geniculata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss.* n°. 1503.

Ad flum. Cygn. Drumm. n°. 405. 1843 (*Herb. Hook. Preiss.* 1503 ex parte).

Folia radicalia sunt 0,05-0,1 longa, 0,008-0,018 lata; caulina 0,02-0,035 longa, 0,004-0,01 lata, omnia subundulata; rami floriferi axillares, adscendentes, 0,1-0,23 longi, teretes, incano-tomentosi, foliati, foliis jam descriptis, raris, alternis; pedunculi axillares, lanati; flores erecti, magni, 0,02 longi; calycis tubus densissime lanatus, turbinatus, germini adnatus, laciniis limbi 5-partiti attenuatis, acutis; corolla albida, externe villoso-puberula, interne et in alis pallidioribus glabra; stamina erecta, conniventia, 0,005 longa, filamentis tenuibus, teretibus, strictis, glabris; stylus robustus, glaber; stigma maximum, indusium campanulatum, latere fissum, externe pilis albidis dense conspersum, ad marginem dense candido-ciliato-barbatum; fructus carnosus, ovato-oblongus, calyce persistente ad verticem usque cinctus, vertice tamen ipso nudo, libero, 0,015 longus, valvae apice bifidae, nec bipartitae, usque ad basin solutae, dissepimentum planum, tenue, margine elevato cinctum, paulo supra medium fructus tantum attingens; semina oblongo-ovalia, complanata, 0,003 longa, 0,002 lata.

19. G. ARMSTRONGIANA.

Caule ramosissimo, scandente, volubili, villoso, terete; ramis tenuissimis, adscendentibus, incurvis, diversifoliis; foliis sub-amplexicaulibus, aliis ovatis, obovatisque, grosse et remote dentatis, aliis oblongis, subdentatis vel integerrimis; pedunculis filiformibus, patentibus, declinatis, geniculatisve; calycis dentibus oblongis, linearibus; corollae tubo elongato, lobis alatis, alis apice bifidis; stigmatis indusio ciliato; capsulae bilocularis septo valvis breviore.

Raffles-Bay. Legit Armstrong m. Aug. 1846 (601). Unicum specimen vidi in Herb. Hookeri.

Elegantissima et inter Goodenais maxime characteristica species. Rami majores mediique folia habent ovata vel rhomboideo-ovata, vulgo 0,015 longa et fere 0,1 lata, grandidentata et acuta, basi amplexicaulia, crassa, hirsuta, pilis basi glandulosis. In ramis lateralibus folia universe sunt angustiora et magis elongata, 0,015 longa, 0,005 lata, oblonga, lanceolata, acuta, vix dentata vel obsolete-dentata, minus pilosa, omnia vero folia sunt cauli acumbentia. Pedicelli sunt filiformes, ad basin 1-bracteati, declinati, prope florem vulgo geniculati; hi, uti et calyces hirsuti. Calyx multinervis lacinias habet breviores, lineares; corollae tubus ultra calycem elongatus, ubi in laminam transit 5-lobam, uno latere rotundato-truncatus; lobi duo laterales et inferiores a lobis 3 superioribus parum remoti, omnes apice bifidi, laciniis remotis, acutis; antherae exsertae, liberae; stylus incurvus; stigmatis indusium ciliatum; capsula interne glabra, septo valvis breviore, in media apicis parte excisa, angulis lateralibus superioribus elongatis, quasi aristatis; seminibus compressis, dissepimento affixis.

Tab. XXIV. Fig. 1. Planta. 2. Totus flos antice visus. 3. A latere visus. 4. Stigma. 5. Fructus.

20. G. DECURRENS. (†)

Caule flexuoso, glaberrimo, ad inflorescentiam nonnunquam pubescente; foliis oblongis, argure et exserte dentatis, acuminatis, decurrentibus,

glabris; racemo simplici aut basi ramoso, saepe nutante; calycis elongati, glabri laciniis linearibus; corollae magnae flavae lobis lato-alatis; stylo barbato; stigmatis exserti indusio ciliato.

G. decurrens *Br. prodr.* 575. *de Cand. prodr. VII.* 513.

Species maxime characteristica, in diversis stationibus tamen diversa quod attinet modum evolutionis.

Vidi praeter specimen Ill. Auctoris sequentia etiam specimina.

Nov. Holl. Prince Regents (*Herb. Hook.*) — Sydney spec. Bynoe (*ibidem*), folia longa 0,1, lata 0,25. — Sydney Clowes (*ibid.*). — Blue Mountains. R. Br. (*Herb. Delessert*). — Nov. Holl. fl. exs. Sieb. 231, formam sistens graciliorem (*Herb. Delessert*). — Port Jacks. n°. 701 (*ibidem*). — N. S. W. (*Spec. Rob. Br.*); foliis latissimis et longissimis (in *Herb. Mus. Caes. Vindob.*). — N. S. W. Rich. Cunningham. — Port Jacks. Ferd. Bauer (utrumque spec. in *Mus. Caes. Vindob.*).

Obs. Folia admodum in hac specie variant, sed quo majora, eo marginibus sunt magis integra.

Sequens descriptio a nobis proponitur juxta specimen authenticum ab Ill. Principe Botanicorum mecum humanissime communicatum.

Herba glaberrima, stricta, erecta, simplex, robusta, fere 0,7 longa; caulis foliosus, teres, inter foliorum insertiones geniculato-flexuosus, apice nudo spicam longam racemosam gerens; folia laete-viridia, inferiora minora, sensim accrescentia, oblonga aut elliptica, apice acuta aut obtusa, basi longe in caulem decurrentia eumque quasi alatum referentia, ab insertione 5-8 cent. longa, 2-5 cent. lata, membranacea, forma repando-denticulata, erecta; spica longa, a folio summo 0,4 remota, bracteae e basi lata acuminatissimae, infimae 0,012-0,013 longae, superne sensim decrescentes, vix 0,003 longae; rami (spicae inferiores) ad 0,004 longi, iterum ramosi, ad divisiones bracteolati, 3-flori, et sub singulo flore bracteolis binis minutis praediti; superiores sensim abbreviati et solummodo ramuli bini collaterales 0,015 longi, sub apice bibracteolati; flores erecti, magni, albidi, 0,02 longi et 0,014 in transversa directione lati; calyx glaberrimus, fere 0,01 longus, tubus obconicus, laete-viridis; limbus 5-partitus; laciniae tubum longitudine aequan-

tes, lineares, acuminatissimae; corolla externe pube minuta obtecta, dorso longitudinaliter fissa, tripartita, bilabiata, interne glaberrima, alae externe glaberrimae; stamina libera cum stylo e sutura dorsali corollae exserta, 0,006 longa; stylus stamina duplo superans, hirsuto-puberulus, versus apicem subbarbatus; stigma magnum, campanulatum, glabriusculum, ad indusii marginem basi eleganter ciliato-barbatum; fructus oblongi, aut subgloboso-ovati, glaberrimi, 0,006-0,01 longi, 0,004 crassi, longitudinaliter e laciniis calycis persistentibus, decurrentibus costati, biloculares, bivalves, polyspermi, quod verticem attinet a calyce non tecti, liberi; septum ad duas tertias tantum fructus longitudinis pertingens, apice transverse truncatum, valvis parallelum; semina placentae septi medio adnata, imbricata, orbicularia, margine crassiore, elevato cincta. Capsularum valvulae sunt demum caducae.

Tab. XXXI. Fig. 1-3. Tota planta. 4. Flos. 5. Lobus corollae. 6. Antherae. 7. Indusium. 8. Idem a latere. 9. Stigma ipsum, magnitudine valde auctum. 10. Fructus. 11. Dissepimentum. 12. Semen.

21. G. ACUMINATA.

Suffruticosa, erecta, glabra, fucata; foliis ovatis, acuminatis, dentato-serratis, axillis imberbibus, pedunculis trifidis, trichotomisve; calycis lobis planis, capsula prismatica brevioribus; seminibus biseriatis.

G. acuminata *Br. prodr.* 575. *de Cand. prodr. VII.* 513.

Nov. Holl. (Spec. Auctoris). — Ib. (*Herb. Lindl.*), van Diemensland R. Gunn. Esq. — Nov. Holl. Cunningham (*Herb. Lindl.*). — Nov. Holl. Ferd. Bauer. (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*) — Laurance e Terra van Diemen (*ib.*). Hügel (*ibid.*) etc.

Descriptio speciminis Illustrissimi Auctoris.

Suffrutex erectus, glaber; caulis teres, ad insertionem foliorum fere geniculatus; petioli breves, teretes, 0,008-0,010 longi; folia ovata, acuminata, basi rotundata, summa ovato-oblonga, basi paullo attenuata, denticulato-serrulata, 0,003-0,005 longa, 0,024-0,01 lata, basi subtrinervia, utrinque glaberrima; axillae imberbes; pe-

dunculi axillares, foliis breviores, 2-3-chotomi, patentes, pauciflori, 0,02-0,03 longi, ad divisionem bracteati; bracteae minutae, lineari-subulatae, 0,001-0,002 longae, erectae; flores erecti, glabri, 0,015 longi, flavi (?); calycis tubus turbinatus, subcylindricus, 0,003 longus, germini adnatus; limbus 5-partitus, persistens, erectus; corollae lacinulae oblongo-lanceolatae, acuminatae; stamina 5, libera; fructus cylindrico-oblongi, biloculares, bivalves, polyspermi; septum ad capsulae apicem continuatum; valvae concavae, septo parallelae, integrae; semina plurima, discoidea, lenticularia, pallide-flavescentia, glabra, in loculo unoquoque horizontaliter sibi superposita.

22. G. OVATA. (†)

Suffruticosa, erecta, glabra, nunc fucata, foliis ovato-acutis, acuminatisve, dentato-serratis, axillis barbatis; calycis laciniis subulato-filiformibus, capsula lineari parum brevioribus; seminibus uniseriatis.

Novae Hollandiae investigatores fere omnes hanc plantam invenerunt, quae tamen in plerisque collectionibus cum priore specie est confusa.

G. ovata *Smith Linn. trans.* 2. 347. *Willd. sp. pl. I.* 954. *Andr. rep.* 68. *Vent. h. cels. III. Mem. de l'Inst. II.* 321. *t.* 10. *Cav. icon. bot. p.* 4. *t.* 506. *Br. prodr.* 575. *Juss. Ann. mus. XVIII. p.* 1. *t.* 1, 2. *fig.* 2. *de Cand. prodr. VII.* 514. *Schlecht. pl. Behr. Linn.* 1847. *p.* 601.

Vidi specimina haec:

1°. Herb. Brownii, quod habet formam genuinam.

2°. » Hook. spec. Whithaker, Australiae meridionalis.

3°. » Sieb. fl. Nov. Holl. exs. 232. Ex eadem spec. Fraseri, Arnotii, aliorum (*Herb. Hook.*). In hortis culta.

4°. Labillardière Mus. Par.

G. ovatae proximam dixit Brown; nec tamen varietas est. Notis indicatis a priore differt, sed in plurimis tamen eidem analoga, ita quidem ut descriptione ampla hic loci sit obstinendum. Iconibus praeterea illustratur.

G. ovata *Smith. var.* latifolia. *Schlecht. mense Nov. ad Torrents et Oncaparinga legit Behr. Cfr. Linnaea* 1847. *p.* 601.

23. G. VARIA.

Suffruticosa, erecta, diffusa, vel accumbens-ramosa, angulata, glabra; foliis coriaceis, obovatis, ovalibusve vel subrotundis, subdentatis, obtusis vel brevissime mucronulatis, basin versus attenuatis, petiolatis vel subsessilibus; pedunculis axillaribus (axillis nudis), simplicibus, trifidisque; calycis laciniis staminibus brevioribus; corollis parvis, glabrisque; stigmatis indusio ciliato.

Nov. Holl. merid. (*Herb. Brown.*) ibid. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vindob.*). Tres admisit varietates Ill. Auctor, ex foliorum forma derivatas.

α. foliis obovatis vel obovalibus.
β. » subrotundis.
γ. » ovalibus.

Forsan plures etiam possint admitti. Differre hinc etiam diametros vix monere opus est.

Descriptio specim. Auctoris:
α. obovata.

Frutex erectus, ramosus, dense foliatus, glaberrimus; rami subangulati, erecti, aut erecto-patentes, ad insertionem petiolorum subflexuosi, geniculati; folia obovata, inferiora, ramorum subrotunda, basi in petiolum attenuata, indeque subspathulata, apice rotundata, obtusa aut acutiuscula, cum petiolo 0,017-0,03 longa, 0,01-0,024 lata, plerumque integerrima, hinc inde subdenticulata, coriacea, glaberrima; pedunculi axillares, valde abbreviati, 0,003 longi, crassiusculi, trifidi, solitarii, raro bini, ad divisionem bracteis parvis, linearibus, 0,002 longis praediti; pedicellis iterum opposite-bibracteolatis, trifloris; flores flavi; stamina libera; stigma grande, flavescens ad indusii marginem ciliatum; fructus desunt.

24. G. MARGINATA.

Suffruticosa, erecta, glabra, caule angulato; foliis variegatis, punctatis, marginatis, membranaceis, majoribus oblique-rotundatis, minoribus petiolatis, aculeolato-dentatis; pedunculis axillaribus trifidis; floribus....

Australasia. Argyle-Paramatta. Hügelii spec. in Herb. Mus. Caes. Vindob.

Priori affinis, sed diversa ab illa: foliis ovatis, membranaceis, punctatis, variegatis, aculeolato-dentatis. Folium maximum sp. Hugeliani 0,07 longum, 0,05 latum. Dentes sunt acutissimi. Folia in medio sunt viridia, versus marginem flavescunt.

25. G. GRANDIFLORA. (†)

Herbacea, erecta, ramis angulatis, glanduloso-pubescens, foliis lyratis, appendiculatis vel basi incisis, lobo majore terminali, e basi lato-ovata, vel cordata, ovatis, acutis, dentatis vel duplicato-serratis; pedunculis axillaribus simplicibus, bi-, trifidisque, floribus magnis; calycis lobis linearibus, acuminatis; corollae tubo interne ramentaceo; stylo lanato; stigmatis indusio maximo, ciliato.

G. grandiflora *Sims. Bot. mag.* 890. *Willd. en. I.* 219. *Br. prodr.* 576. *de Cand. prodr. VII.* 514.
» appendiculata *Jacq. fragm. bot. t.* 92. *Lindl. bot. reg. XVIII.* 29.

Nov. Holl. Brown. — Port Jacks. Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vind.*). — N. S. W. (*Hook.*) — N. Holl. (*Herb. Splitg.*) — Spec. auct. in Mus. Par.

Descriptio spec. Ill. Brownei:

Herba erecta, tota pilis minutis, apice capitulatis obtectae, sat robustae. Spec. 0,3 longum. Caulis acute-angulatus, strictus vel subflexuosus; folia inferiora prorsus inciso-pinnata, lobis lateralibus valde distantibus, per paria sibi suboppositis, oblongis, aut oblongo-lanceolatis, inciso-dentatis, aut integris, nunc subinte-

gerrimis, lineari-lanceolatis, terminali uti folia superiora, ovato, acuto, serrato, dentato, ima basi semi-amplexicaulia, 0,05-0,06 longa, cum petiolo, lobo terminali 0,035 longo, 0,028 lato; folia summa angustiora, integra, oblongo-lanceolata, acuminata, serrulato-denticulata, 0,02 longa, 0,05 lata; pedunculi axillares, folio multo breviores, trifidi, aut bifidi, 2-3 flori; bracteae per paria sibi oppositae, parvae, vix 0,002 longae, e basi lata acutae, persistentes, dense pilis glanduliferis obtectae uti omnes inflorescentiae partes; calycis tubus oblongo-cylindricus, paullo basin versus attenuatus, 0,003 longus, erectus, laciniis oblongo-lanceolatis, acuminatis, 0,004 longis; corolla magna, 0,02 longa, externe pube simplici obtecta, albida, profunde 3-partita, bilabiata; stamina libera; stylus his longior; stigma magnum, glabrum, campanulatum, erectum, ejusdem indusium ad marginem dense ciliato-barbatum; fructus oblongus, costatus, 0,013-0,014 longus, 0,005 crassus, bilocularis, bivalvis, calyce coronatus, polyspermus; septum ad insertionem usque calycis pertingens, deinde caducum; valvae ad basin fere sejunctae, tum bifidae.

26. G. HETEROPHYLLA.

Herbacea, erectiuscula, pubescenti-hirtella, pilis eglandulosis; foliis ovatis, oblongisve, incisis, lobatisve; pedunculis unifloris, rarius bifloris, bracteis a flore remotis, lobisque calycinis subulatis; stylo glabro.

G. heterophylla *Smith Trans. Linn. Soc. II.* 349. *Cav. icon.* 6. *p.* 6. *t.* 508. *Anal. hist. nat. I. p.* 96. *Brown prodr.* 576. *Sieb. pl. exs. nov. Holl.* n°. 228.

G. pubescens *Sieb. l. c.* n°. 178. *de Cand. prodr. VII.* 514.

Port Jacks. Brown. Mitchell's exp. 183. Interior of New Holl. (*Lindl.*) — N. Holl. Brogdon (*Lindl.*). N. Holl. Hügel. N. S. W. Clowes Hort. Botany Bay. Port Jackson. Labillardière. N. Holl. Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vind.*) N. Holl. Caley. Port Jackson. Anderson. N. Holl. ex Herb. Vent. (*Herb. Delessert*). Porro Herb. Splitgerb. Diagnosis Browneana optima. Descriptionem vide apud Rom. et Sch. Vol. v. p. 28. Porro confer icones laudatas. Species foliorum forma diversa satis dignoscenda.

G. pubescens Sieb. manifesto huc pertinet, quod ex collatis speciminibus satis constat.

27. G. ROTUNDIFOLIA. (†)

Herbacea, erectiuscula vel decumbens, glabra, foliis petiolatis, subrotundis, inciso-serratis, vel grandi-dentatis, raro crenatis; pedunculis elongatis; calycis laciniis et bracteis subulatis; stylo glabro; capsula ovata.

G. rotundifolia *Br. prodr.* 576. *de Cand. prodr. VII.* 514.

Port Jackson. Patersons River. Brow. (*Herb.*). Ib. Ferdinand Bauer. v. Diemensland. Hügel. (*Mus. Caes. Vindob.*). Nov. Holl. Fraser. 1829 (*Herb. Hook.*).

Variat admodum in speciminibus diversis foliorum diameter. In maximis longitudo 0,025, latitudo 0,025.

Vidi spec. Auct. in Mus. Par.

In specimine authentico haec adnotanda video.

Sunt herbae procumbentes, adscendentes, erectae, glabrae. Folia membranacea, alterna, subrotunda aut obovato-cuneata, omnia versus basin in petiolum plus minus attenuata, inciso-serrata, aut dentata, dentibus singulis mucronulo brevi munitis. Bracteae subulato-filiformes. Calycis laciniae lineari-subulatae, 0,005 longae; stamina libera, filamenta angusta, tenera, 0,003 longa; antherae ovato-oblongae; stylus erectus, glaberrimus, 0,006 longus, stigma crassum, ad indusii marginem ciliato-barbatum; fructus non vidi.

28. G. BARBATA.

Herbacea, glanduloso-pubescens, scabra, foliis linearibus, integris vel subserratis; pedunculis 1-floris, corollae magnae fauce barbata; stylo hirsuto; capsula 1-loculari, (an semper?) 2–3 sperma.

Br. prodr. 576. *de Cand. VII.* 514.

Nov. Holl. Brogdon (*Herb. Lindl.*). K. G. S. Sw. Riv. Austr. Orient. Hügel. (*Mus. Caes. Vind.*).

Caulis teres; folia vix lanceolato-linearia, sed linearia, 0,05 longa, 0,002 lata, acuta, hic illic dentata vel serrata. Pedunculi saepe elongati, 0,03 longi; bracteae duae oppositae, oblique sursum directae. Flores magni; calycis laciniae lineares; corollae coeruleae, lobi obovati, acuminati, ad faucem stellato-barbati, barbato-villosi; stigmatis indusium maximum, longe-ciliatum. Fructus costatus, calyce coronatus, 2-locularis, loculis monospermis. Unilocularem fructum, qualem auctores indicaverunt, non vidi.

29. G. FLAGELLIFERA.

Herbacea, glabra, foliis radicalibus longe-petiolatis, spathulatis, flagellis elongatis; floribus radicalibus, axillaribus, longissime pedunculatis; calyce supero, quinquefido, laciniis lineari-lanceolatis, 2-bracteolatis; corolla bilabiata, flava, labio superiore fisso; filamentis et antheris liberis; stigmatis indusio ciliato; flagellis foliiferis et floriferis, valde elongatis; capsula prismatica biloculari; seminibus marginatis, compressis.

G. flagellifera *de Vriese in Sir. T. L. Mitchells Journ. of an expedit, in trop. Austr. p.* 378. *Lond.* 1848. *de Vriese Anal. Good. p.* 66.
Vidi spec. Mitchellianum.

Folia radicalia sunt 0,08-0,1 longa, 0,015-0,02 lata, apice rotundata, subrepandula, deorsum atenuata, subdecurrentia, utrinque glaberrima, subtus pallidiora; folia flagellorum bracteiformia, ovata, subrotunda, utroque vel alterutro latere auriculata, auricula alterutra multo minore, floribus vero in bractearum axillis illarum, reliquis multo minoribus, neque ad normam perfectis, brevius pedunculátis.

Tab. XXV. Fig. 1. Planta tota. 2. Flos a latere. 3. A dorso visus. 4. Lobus corollae. 5. Stamina. 6. Stigma longitudine sectum. 7. A latere, 8. A dorso visum. 9. Fructus apertus. 10. Semen.

G. hederaceae species affinis est.

30. G. LANATA.

Herbacea, hirsuto-pubescens, eglandulosa, subacaulis, ramis prostratis; aliis obovatis, ovalibusve, obtusis, subdentatis, hirsutis, novellis calyci-

busque basi lanatis; pedunculis scapiformibus, 1-floris, folia triplo superantibus; corollae lobis ciliatis.

G. lanata *Br. prodr.* 577. *de Cand. prodr. VII.* 514.

Terra van Diem. Brown. (Spec. Ill. Auct.).
Port Dalrymple Brown (Spec. Ill. Auct.). Inter N. Holl. Mitchell. (*Lindl.*).

Herba lanato-tomentosa; caulis valde abbreviatus; folia ad basin caulis collecta, ovalia, aut obovata, in petiolum longum attenuata, obtusa, repando-dentata, nunc subintegerrima, cum petiolo 0,01-0,015 longa, 0,008-0,015 lata, dense lanato-tomentosa, incana, deinde minus dense vestita; pedunculus axillaris, solitarius, erectus, teres, folia longe-superans, 0,055-0,085 longus, ad medium fere bibracteatus, uti folia et calyx dense lanato-tomentosus, uniflorus; bracteae oppositae, erectae, persistentes, lineares, hirsuto-puberulae, 0,004 longae; calycis tubus turbinatus, 0,002 longus, laciniae calycis lineari-lanceolatae; corolla albida, glabra, alis candidis, margine haud ciliatis; stamina libera; stylus ea superans, hirsuto-puberulus, 0,006 longus; stigma erectum, cupuliforme, dense pilis adpressis tectum et ad marginem ciliato-barbatum. (Juxta spec. Auct.).

Tab. XXVI. Fig. 1, 2. Planta tota. 3, 4. Lobi corollae dorso et interne visi. 5, 6. Stamina. 7. Indusium.

31. G. HEDERACEA. (†)

Herbacea, subpubescens, eglandulosa, ramis filiformibus, prostratis; foliis alternis, secundis, coelum versus spectantibus, petiolatis, ovatis vel ovalibus, acutis, integris aut dentatis, imoque inciso-lobatis, in petiolum attenuatis, radicalibus nunc lobatis; pedunculis 1-3 floris, folia multo superantibus; corollae lobis haud ciliatis, externe pubescentibus, nec lanuginosis.

G. hederacea *Smith trans. Linn. Soc.* 3. *p.* 349. *Br. prodr. l. c* 577. *Sieb. pl. exs. nov. Holl.* n°. 575. *de Cand. prodr. VII.* 515.

Nov. Holl. Port Jacks. Brown. — Sydney. Hügel. Ins. van Diem. Ferd. Bauer. Nov. Holl. ora orient. inter trop. ej. Sieb. spec. laud. (omnia in *Herb. Mus. Caes. Vindol.*). Nov. Holl. Brogdon. (*Herb. Lindl.*). Port Jacks. Anders. 1832 (*Herb. Delessert*).

Herbae tenerae, puberulae, prostratae; caulis teres, tenerrimus, filiformis; folia sunt 0,01-0,016 longa, 0,007-0,01 lata, petioli 0,003-0,012 longi; bracteae sunt oppositae, minutae, tenerrimae, setaceae, 0,002 longae, erectae, persistentes; calycis tubus est obconico-cylindricus, laciniae ejusdem sunt subulatae; corolla in sicco rubens; stamina et stylus robusta; stigmatis indusium erectum, campanulatum, glabrum, ad marginem dense-ciliatum.

Tab. XXVII. Fig. 1, 2. Plantae rami. 3. Flos. 4, 5. Lobi. 6. Stamina. 7. Stylus. 8. Stigma.

32. G. ELONGATA. (†)

Sparse pilosa, caule erecto, filiformi, simplici; foliis radicalibus oblongo-spathulatis, subdentatis, caulinis lanceolatis, subintegris, basi attenuatis; pedicellis axillaribus, solitariis, subterminalibusque, elongatis, fructiferis reflexis.

G. elongata *Labill. nov. Holl. I. p.* 52. 6. 75. *Br. prodr.* 577. *de Cand. prodr. VII.* 515. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 413.
G. pulchella *Benth. in Hug. enum. de Vriese in pl. Mitchell. p.* 379.

Vidi spec. Brownei, quod exactissime quadrat cum tab. Labillardierii, ex Portu Dalrymple. In arenosis prope Urbiculam Perth. Herb. Preiss. n°. 1029. — V. D. L. Rob. Gunn. Esq. Hugel. (*Mus. Caes. Vind.*),

De hac specie sqq. habet Labillardière (*Novae Hollandiae plantarum specimen, auctore J. J. Labillardière* 1804).

»Planta herbacea, pilis brevibus subappressis hispida. Folia radicalia obovata, caulina lanceolata; florum pedunculi distantes, ebracteati, basi pilosi, 3-5 pollicares. Calycis laciniae lanceolatae. Corolla monopetala, marcescens, supra longitudi-

naliter ad basin usque fissa, bilabiata, labio superiore bipartito, inferiore vero trifido; laciniis omnibus costatis, costa extus pilosa. Staminum filamenta summo calyci sub corolla inserta; antherae subovatae, biloculares, adnatae. Germen inferum, ovatum, stylus supra pilosus; stigma cyathiforme, pilosiusculum, ore ciliatum, medio septiferum, septo lateribus libero, supra papilloso. Capsula semi-infera, subovata, bilocularis, bivalvis, dissepimento valvis parellelo. Semina plura, ovata, hinc plana, inde convexa, imbricata, dissepimento affixa.

Habitat in capite van Diemen."

33. G. CORONOPIFOLIA. (†)

Glabra, foliis primitivis obovatis, reliquis fere linearibus, radicalibus pinnatifido-dentatis, caulinis integerrimis; pedicellis subsolitariis, alternis, fructiferis erectis; corollis flavis; stigmatis indusio magno, ad marginem dense argenteo-barbato-ciliato.

G. coronopifolia *Br. l. c.* 577. *de Cand. prodr. VII.* 575. *de Vriese in pl. Mitchell. p.* 359.

Nov. Holl. North Coast. Brown. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vind.*) — Nov. Holl. subtropica Mitch. 1846. n°. 519. Nov. Zeelandia Hügel.

Descriptio speciminis Illustriss. Auctoris.

Herba gracilis, humilis, habitu peculiari ab ordinis habitu diversa, glabra vel hic illic pilosiuscula; rami plures floriferi oriuntur et caulis abbreviati basi sunt axillares, erecti, graciles, teretes, paucifoliati, in inferiore parte, imprimis vero in axillis foliorum pilis patentibus minutis puberuli; folia sunt valde diversa; infima 2-3 parva, subrotunda aut ovalia, trinervia, integerrima, breviter petiolata, 0,005-0,008 longa, 0,003-0,004 lata (Haec primordialia). Accedunt alia quae sunt lineari-spathulata, 0,012-0,213 longa, 0,002 lata, integerrima; deinde quae sequuntur singula sunt magis elongata, linearia, integerrima, acuminata, 0,005-0,006 longa, vix 0,002 lata, et postremo folia omnia congesta et ut plurimum profunde-pinnatifida aut inciso-dentata, laciniis alternantibus, patentibus aut patentissimis, 0,004-0,01 longa et 0,002 lata, omnia pilis patentibus aut patentissimis instructa,

dein vero caducis; pedunculi axillares, erecti, 0,02-0,03 longi, graciles, teretes, glabri, uniflori. Calyx glaber, laciniis erectis, linearibus, acutis persistentibus. Corolla flava. Stigma magnum; indusio in margine dense argenteo-barbato-ciliato. Fructus desiderabantur.

34. G. TENELLA.

Subpubescens, pilis adpressis, raris, caule simplici vel nullo; foliis radicalibus planis, lanceolatis, spathulatisve, fructiferis erectis.

G. tenella *Brown prodr.* 577. non Andr. nec Sims.
» » *G. Don. Gen. syst.* 3. *p.* 725. *excl. syn. et icon. de Cand. prodr. VII.* 515.

Vidi spec. Ferd. Baueri ex Nov. Holl. ora australi (*Herb. Mus. Caes. Vind.*), quod tamen minus completum erat, fere 0,1 longum, caule apice dichotomo, pedicellis longis et tenuissimis.

35. G. CISTIFOLIA. (†)

Suffruticosa, ramosissima, ramis angulatis, superne minute glanduloso-puberulis; foliis linearibus, margine revolutis, integerrimis, aut apice dentatis; pedicellis axillaribus, versus apicem bibracteatis, 1-floris; calyce corollaque externe glanduloso-puberis.

G. cistifolia *de Cand. prodr. VII.* 516 (ex All. Cunningh. in lit. 1836).

In Nov. Holl. collibus ad Hunter's River legit A. Cunningham.

Vidi Cunninghami spec. (*Herb. Lindl.*); Hügelii Cunninghami (*Herb. Mus. Caes. Vindob.*) Vidi etiam in Mus. Paris.

Herbae graciles; erectae, glabrae, virgatae, ramosae, 0,35 longae (mensura speciminum nobis obviorum); rami iterum ramosi, angulati, adulti teretes, erecti, 0,2-0,25 longi, fastigiati; folia brevia, anguste-linearia, aut lineari-obovata, acuta,

0,006-0,013 longa, 0,001-0,002 lata, margine revoluta, nervo medio subtus angulato-prominulo praedita, erecta; pedunculi axillares, folia paulo excedentes, solitarii, uniflori, erecto-patentes, 0,01-0,017 longi, supra medium bibracteati; bracteae oppositae, foliis conformes, sed plus dimidio minores, erectae, persistentes; calycis tubus brevis, germini adnatus, obconico-turbinatus, laciniis acuminatis, punctulato-asperis; corolla externe puberula, interne dense villis farcta, profunde tripartita; laciniae binae superiores breviores, indivisae, tertia inferior trifida; lacinulae lineari-oblongae, acuminatae, ad marginem utrumque praeditae ala sensim apicem versus latiori; stamina corolla multo minores, erecta, filamenta tenuia; stylus robustus, teres, flexuosus, hirsuto-pilosus, sub stigmate imprimis barbatus; stigma sat magnum, campanulatum, ad indusii marginem dense ciliato-barbatum; fructum non observavi. (Ad spec. Celeb. Inventoris).

36. G. MOLLIS.

Foliis ovatis, subcordatis, acutis, serratis, villosis, mollibus; pedunculis axillaribus, corollae tubo saccato (?).

G. mollis *Br. prodr. l. c. de Cand. prodr. VII.* 515.

Nov. Holl. Broad Sound Brown (*Herb.*). Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)

Herba suffruticosa, molliter puberula, rami alterni, patentissimi, teretes; folia ovalia, acutissima, subacuminata, basi leviter rotundata et subito attenuata, 0,015-0,03 longa, 0,006-0,017 lata, argute serrato-dentata, imprimis subtus molliter villosa, axillae densius puberulae, petioli pedunculis breviores; flores magni, erecti, 0,02 longi, 0,015 transverse lati; calycis tubus turbinatus, costatus et inter costas tomentosus, subcurvatus, 0,002 longus; corolla erecta, aurantio-flava (in sicco), externe minute puberula, dorso tota fissa et interne puberula hirsuta, profunde trifida, laciniis lineari-lanceolatis et alis utrinque eas marginantibus, truncato-cuneatis; stamina 5 libera, e dorsali sutura exserta, 0,005-0,006 longa, stylus longus stamina excedens, teres, pilis patentibus hirsutus, 0,013 longus; stigma erectum grande, strigoso-barbatum; indusium campanulatum, glabrum, margine ciliato-barbatum, transverse fere 0,003 latum. (Descriptio specim. Ill. Auctoris).

37. G. INCANA.

Incano-tomentosa, caulibus partialibus, subsimplicibus, paucifloris; foliis caulinis remotis, oblongo-linearibus; corollis extus ovariisque lanatis.

G. incana *Br. prodr.* 578. *de Cand. prodr. VII.* 516.
Scaevola pterosperma *de Vriese in pl. Preiss. l. c.*

Nov. Holl. Lucky bay. Spec. Ill. Auc. — Nov. Holl. fl. Cygn. Preiss. Herb. 1499. 1501. — Flum. Cygn. Drumm. 1839 (*Herb. Mus. Caes. Vind.*).

Herba parva, 0,01-0,015 longa, crecta, erecto-adscendens, caespitoso-ramosa, pulcherrime candido-lanata; rami e basi caulis subterranea plures fasciculati, rarius solitarii, simplices, dense et molliter lanati, demum vero deglabrati; folia radicalia obovato-oblonga, versus basin longe attenuata, indeque subspathulata, acuta, 0,002-0,035 longa, 0,004 lata, hirsuto-puberula; reliqua folia (ramea) sunt oblongo-lanceolata, aut lineari-oblonga, acuta, basin versus paulo attenuata, 0,017-0,02 longa, 0,003-0,004 lata, versus apicem ramorum sensim minora, densissime molliter lanata, omnia integerrima, plana; pedunculi axillares, solitarii, breves, 0,005-0,007 longi, erecto-patentes, apice aut paulo infra apicem bibracteati; bracteae oppositae, erectae, angustissime lineares, pariter uti pedunculi et floris partes pilis longis, candidis, antrorsis lanatae, persistentes, vegetae. Flores ampli, laete coerulei; corolla externe pilis raris, longis, tenuissimis puberula nec lanata, in alis et interne glabra. Fructus erectus, molliter lanato-pilosus, ovato-subglobosus, calycis limbo conniventi coronatus, 0,008 longus, coriaceus, bilocularis, bivalvis, polyspermus; septum ovale, tenue, glabrum, membranaceum, deinde totum solutum, caducum, semina in utroque latere biseriatim et imbricatim coacervata eique insidentia, in loculo quoque fere 20, suborbicularia, tenuia, albida, ala tenuissima, membranacea, sinuato-eroso cincta. (Ad specim. Illustr. Auctoris proposita descriptio).

Tab. XXVIII. Fig. 1. Planta integra. 2. Fructus adnato calyce. 3. Lobi corollae. 4. Stamina. 5. Stylus cum stigmatis indusio. 6. Stigma longitudine sectum. 7. Fructus apertus. 8. Dissepimentum fructus. 9. Idem seminibus fere denutatum. 10, 11. Semen. 12. Idem magnitudine auctum.

38. G. PTERYGOSPERMA. (†).

Glabra, caule subsimplici, paucifloro, foliis radicalibus linearibus, subdentatis, caulinis minoribus remotis, floribus alternis, calyce obtusiusculo, ovariisque glabris.

G. pterygosperma et G. coerulea *Br. prodr. l. c. de Cand. prodr. VII.* 515.

Nov. Holl. ora meridionalis.

Vidi specimina Ill. Auctoris ab Illo mecum communicata. Praeterea huc quoque pertinent sqq. Ferd. Bauer. Hugel. K. G. S. — Drummond fl. Cygn. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*) — Mangles fl. Cygn. (*Herb. Lindl.*)

Comparatis utriusque speciei speciminibus authenticis, nullam possum admittere differentiam specificam, nisi dichotomiam caulis magis luculentam, florumque numerum majorem talem velis admittere.

Utrumque igitur specimen sic delineabo:

Herbae pumilae, erectae, ramosae, 0,16 longae; caulis ima basi foliis cinctus, indeque subbulboso-incrassatus, e basi dichotome-ramosus, minute puberulo asper; folia inferiora angustissime linearia, rigida, integerrima, subrevoluta, 0,03-0,05 longa, ima basi dilatata, caulem amplectentia; superiora sensim magnitudine decrescentia, sed conformia, solummodo basi haud tantopere dilatata, 0,003-0,02 longa, omnia erecta, summa rudimentaria; pedunculi 0,02-0,025 longi, in medio bracteis binis, oppositis, 0,001-0,002 longis praediti, 1-flori, calyx minute puberulo-asper; corolla ampla; stigma magnum, cupuliforme, sericeum, ad marginem dense sericeo-ciliato-barbatum.

39. G. PURPURASCENS. (†)

Herbacea, glabra, caule nudo, foliis radicalibus elongato-lanceolatis; panicula effusa.

G. purpurascens *Br. prodr.* 578. *de Cand. VII* 515.

Nov. Holl. intra tropicum.
Ad Carpentariam Brown. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vindob.*).

Herba glabra, florifera, 0,5-0,6 longa, caulis fere totus nudus, ima basi tantum foliis graminiformibus in apicem floriferum diminutis praeditus; folia radicalia elongato-lineari-lanceolata, acuminata, basin versus attenuata, 0,15-0,23 longa, 0,005-0,006 lata, longitudinaliter parallele-nervosa, superiora ad ramificationem inflorescentiae anguste linearia, acuminata, basi latiore, 0,03 longa; panicula terminalis effusa, pyramidalis, 0,2-0,25 longa, 0,11-0,12 lata. Corolla purpurea.

40. G. SQUARROSA. (†)

Fruticosa, ramosa, pilosa, foliis fasciculatis, linearibus, incurvis, obtusis, varieque tortis; spicis terminalibus; floribus fere sessilibus, congestis, axillaribus; calycis laciniis valde pilosis; corollae lobis ab antheris valde impressis; antheris liberis, stylo elongato, pilis nigris instructo; stigmate profunde bilobo, indusii margine minute ciliato.

G. squarrosa *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 413.
Scaevola fasciculata *Hugel.*

Ad flum. Cygn. Preiss. n°. 1467 Hugel. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)

Frutex ramosus, rami teretes, juniores puberuli, adultiores glabrati, ad apicem caulis fastigiati, dense foliati; folia sparsa teretia, brevia, stricta et (siccando) varie torta, laete viridia, glabra, axillae pilis albidis patentibus, aut intricatis lanatae; spicae sunt terminales; flores sunt sessiles, solitarii, axillares; calycis tubus subglobosus, basi paulo attenuatus, costatus, laciniis subulatis; corolla calycem longe superans, dorso fissa, tripartita, bilabiata (nec, uti in Plantis Preissianis calami errore scriptum est, unilabiata); stamina omnia libera, cum stylo e fissura dorsali exserta, erecta; stylus pilis nigris, minutis, patentibus, apice capitulatis glanduloso-

hirsutulus; stigma campanulatum, pallescens, glabrum, primo erectum, dein cernuum, saepe lateraliter fissum, quasi bilobum, ad marginem minute-ciliatum.

Tab. XXIX. Fig. 1. Pars rami. 2. Flos apertus. 3. Alabastrum. 4. Lobus corollae. 5, 6. Stamina. 7. Stylus. 8. Stigma.

41. G. XANTHOTRICHA.

Suffruticosa, erecta, ramosa, foliis semi-amplexicaulibus, lineari-lanceolatis, acutis, acuminatis, margine revolutis, serratis, aut integris, pilis minutis, patentibus, flavescentibus, apice capituliferis, dense molliterque obtectis, erecto-patentiis; floribus axillaribus, albis; fructu subuniloculari; seminibus discoideis, nigris, nitudulis.

Nov. Holl. Verreaux. (*Herb. propr.*)

Flores primo formant umbellam densam, terminalem, tandem vero abeunt in inflorescentiam elongatam, spicaeformem. Bracteolae collaterales ad basin singuli floris binae, eique arcte adpressae; calycis tubus turbinatus, germini adnatus, laciniis linearibus; corolla ampla, limbo unilaterali, 5-fido, laciniis lineari-lanceolatis, ala apicem versus dilatata; reliqua organa floralia vix aliquid notatu dignum exhibent. Fructus siliquaeformis, basi tantum bilocularis, supra eam 1-locularis. Semina in loculo quoque bina, discoidea, nigra, margine albido, membranaceo subalata, minutissime punctulato-asperula, subnitudula. Fructus structura quidem accedit ad Euthalem!

(Juxta specimen communicatum ab Inventore.)

42. G. CYCLOPTERA.

Ramosissima, pubescens, foliis radicalibus serrato-incisis, caulinis lanceolato-ellipticis, obsolete serratis, in petiolum attenuatis; pedunculis axillaribus unifloris, folia subaequantibus; seminibus orbiculatis, membrana angusta cinctis.

G. cycloptera *Br. Bot. Append. to Capt. Sturt's expedition into central Australia p. 20.*

Stirpem non vidi, at suspicor ex peculiari structura seminum, eam esse referendam ad Sect. Porphyranthus Don.

43. G. RIGIDA.

Suffruticosa, pubescenti-lanata vel demum glabriuscula, ramis erectis, rigidis, flexuosis, dichotome-ramosis; foliis linearibus, radicalibus subbidentatis, caulinis sparsis; calycibus glandulosis lobis acutis; corollae lobis alatis; capsula biloculari. Pedicelli axillares bracteati, pauciflori, vix pollicares. Flores coerulei.

G. rigida *Benth. in Hugel. enum. 71. de Cand. VII. 516.*

Nov. Holl. ad fl. Cygn.

Descriptio specim. Preissiani:

Herbae graciles, canescentes, strictae, rigidae, dichotome ramosae, 15-30 cntm. longae et ultra, totae pilis patentibus, brevibus hirto-puberulae; rami geniculati, flexuosi, angulati et inter angulos sulcati; internodia (uti folia) sensim apicem versus breviora; folia infima, ut dicunt radicalia, valde elongata, angustissime linearia, margine involuta, indeque subteretia, 5-7 cntm. longa, vix 1 mllm. lata, ima basi autem sensim dilatata et caulem amplectentia et foliorum altiorum basin semivaginantia, indeque pseudo-bulbum fere fingentia; superiora ramea, sensim ad apicem rami progredientia, breviora, sed conformia, solummodo basi haud tantopere dilatata, et basin ne semi-quidem amplectentia, 5-1 cntm. longa, omnia margine involuta et (uti rami sed minus) asperula; pedunculi axillares, erecto-patentes, teretes, folia sua superantes, 2-1 cntm. longi, pariter hirto-asperuli, paulo infra bibracteati, uniflori; bracteae oppositae, minutae, angustissime lineari-subulatae, vix 1 mllm. longitudine excedentes, persistentes; flores erecti, sat ampli, coerulei, 11-12 mllm. longi; calycis tubus germini adnatus, ovatus, 4 mllm. longus, 2 mllm. latus, densissime glanduloso-tomentosus, e limbi laciniis decurrentibus, leviter costatus; lim-

bus tubo duplo longior, 8 mllm. longus, erectus, 5-partitus; laciniae e basi latiori acutissime subulato-attenuatae, erectae aut dein patentes, persistentes, vegetae; corollae alabastrum obovato-oblongum, dense sed minute puberulum, 4-6 mllm. longum; corolla profunde 3-partita, extus puberula, intus et in alis glaberrima, 1 cntm. longa; laciniae binae, superiores simplices, inferior trifida, major; lacinulae lineari-lanceolatae sed ala sensim apicem versus dilatata, tenui, lilacina ad marginem utrumque praeditae, indeque truncatae, cuneatae; stamina et stylus e fissura corollae superiore erecti, exserti; stamina 5 libera, 5 mllm. longa; filamenta 3 mllm. longa, lacinia teretia, apice subflexuosa; antherae erectae, lineari-oblongae, acutae, latere utroque rima longitudinali dehiscentes, 2 mllm. longae; stylus stamina longe excedens, cum stigmate 8-9 mllm. longus, erectus, flexuosus, teres, inferne glaber, apicem versus, pilis albidis hirsutus, et ad apicem fere barbatus; stigma sat magnum, erectum, glabriusculum, vix pilis paucis praeditum, sed ad indusii marginem eleganter argenteo-ciliato-barbatum; fructus subglobosi, minute puberuli, apice calycis limbo persistenti coronati, diametro 5-6 mllm. evalves, valvis iterum bipartibilibus, an 1 (?) - an incomplete 2 (?) - loculares, haud distingui licet, quia fructus solitarius valvas solummodo vacuas praebet.

41. G. PINIFOLIA.

Suffrutex gracilis, erectus, ramosus, caule terete, hinc inde verruculoso, glabro, apice subverticillatim ramoso, ramis erecto-patentibus, lignosis; foliis pinoideis, acicularibus, anguste linearibus, complanato-teretibus, dorso canaliculato-sulcatis, acutissimis; pedicellis unifloris, bracteis brevibus, anguste linearibus, acuminatis; floribus erectis, solitariis; calycis tubo obconico, corolla profunde trifida; stigmatis indusio maximo, cylindrico, nutante.

Nov. Holl. ad fl. Cygn. Drumm. 1839 (*Herb. Hook. et Lindl.*)

Propter habitum piniformem et folia acerosa haec species satis dignosci poterit. Habitus autem adeo recedit ab omnibus aliis Goodenoviaeis, ut facile pro novi generis typo posset sumi, si modo ex floris structura characteres satis diversi ab

iis aliorum generum possent obtineri. Quod, dum fieri non possit, et quoniam floris characteres satis cum iis Goodeniae quadrant, ad hujus generis calcem hanc plantam disponere malui, quam propter solum habitum novum proponere genus.

Caeterum e diagnosi jam constat, quam characteristica sit haec inter plantas Goodenovieas.

Suffrutex est gracilis, erectus, ramosus, pini folia aemulans. Calycis limbus est erectus, 5-partitus, corolla est profunde-trifida, laciniis binis superioribus indivisis, tertia trifida est lacinulis lineari-oblongis, trinerviis, 4 mill. longis, ala tenuissima albescente ad marginem utrumque praeditis; stamina, antherae, germen fere eadem referunt quae reliquae Goodeniae. Valvae fructus primum apice tantum hiant, deinde totae sunt apertae, desilientes, deciduae, intus glaberrimae, stramineae; semina sunt in basi fructus sessilia, erecta, orbicularia, margine crassiore, elevato cincta, pallide florescentia, glabra, opaca; dissepimentum in ima basi fructus sessile est simplex, tenuissimum, seminigerum.

Tab. XXX. Fig. 1. Ramus. 2. Flos. 3, 4. Lobi corollae. 5, 6. Antherae. 7. Stylus cum indusio. 8. Stigma. 9. Fructus. 10. Idem apertus. 11. Dissepimentum. 12. Fructus dehiscens cum duobus seminibus. 13. Semen. 14. Folia acerosa.

45. G. PRIMULACEA.

Acaulis, stolonifera, subappresse-pilosa; foliis petiolatis, lanceolatis, vel spathulato-lanceolatis, longe-attenuatis, acutiusculis, remote-denticulatis; pedunculis elongatis, folia superantibus, unifloris, sub medio bibracteatis, florentibus erectis, fructiferis inde a bracteis refractis; fructu erecto, petalis subintegerrimis.

G. primulacea *Schlecht. Linnaea* 1847. *p.* 599.

Nov. Holl. Behr.

»Stolonifera; folia ex angustata petiolari basi sensim in laminam mox lanceolatam et versus apicem latiorem dilatantur, 1½-3 poll. longa, 1¼-3¼ lin. lata, margine laminae denticulis parvis glanduliformibus longius inter se distantibus instructo, caeterum viridia, crassiuscula, nervo saltem subtus prominente et cum marginibus praesertim pilis tecto, qui in juniori folio copiosiores usque ad basin petiolorum

descendunt et utramque paginam magis minusque occupant; dein reperiuntur vario modo in pedunculis, bracteis, imprimis autem in calycis tubo, nec non minores in mediam petalorum partem procedunt. Pedunculi elongati, cum flore fere 5 pollices aequantes; bracteae duae oppositae, basi semi-amplexicaules, dein angustatae, erectae. Calyx fere ad medium in lacinias lineares obtusas partitus. Corollae tubus calycem paulo excedens, petalorum parte media lanceolata, acuta, variis purpureis picta, externe colorata, alis lateralibus luteis. Indusium stigmatum margine pilosum (Pars superior sive summa Schl.). Capsula clavata costis 5 leviter elevatis subangulata, laciniis conniventibus coronata, bivalvis, haud usque ad apicem septo in duos loculos partita. Semina plura, elliptica, margine utrinque elevato, plano medio impresso." Spec. non a me visum.

Species imperfecte cognita est.

46. G. PINNATIFIDA.

Schlecht. in pl. Behr. Austr. merid. in Linnaea XXI. 1848. 450.

XI. PICROPHYTA.

„Calycis limbus 4-partitus, lobis subulatis, subaequalibus, tubus germini adnatus e fissura longitudinali corollae calcar emittens. Corollae bilabiatae tubus fissurae calycis contrarie fissus, basi germinis accretus, postice in calcar desinens, limbi lobis margine alatis. Antherae distinctae. Stylus indivisus. Stigmatis indusium magnum, ciliatum, non in labia partitum. Capsula ultra medium bilocularis, valvis breviter bifidis. Semina in quovis loculo biseriato-imbricata, compressa, margine incrassata, faciebus papilloso-asperula.

Herbae Australes annuae vel perennes, caulescentes habitu glauco superfusae, sapore amarae, foliis alternis vel dentatis vel pinnatim-partitis; corollis albidis, e purpureo-tinctis, venosisque, suaveolentibus; laciniis earum superioribus supra genitalia erecto-adscendentibus et conniventibus, tribus inferioribus reflexo-patentibus.

Genus hinc Velleyae illinc Goodeniae connexum, et notis dictis adjuvante habitu peculiari probe distinctum."

Picrophyta Ferd. Mull. Linnaea, 1852. p. 421.

1. P. ALBIFLORA.

»Herbacea, erecta, glauca praeter pedunculos, bractearum margines, calyces, corollae clausae externas partes, glandulosa, glabra; caulis simplex; folia petiolata, lamina late ovalis; longe sensim attenuata, integerrima, apice acuminata, dense argute serrata, sensim angustior in bracteas bracteolasque lineares utrinque acuminatas, tandem integerrimas, multo diminutas, nec flores superantes abiens; racemus bracteatus, pedunculi medio bibracteati, petala margine denticulata."

P. albiflora *Mull. Linnaea* 1852. 421.
G. „ *Schlecht. Linnaea* 1847. *p.* 599.

Nov. Holl. Behr.

Planta pulcherrima, circiter pedalis, tota habitu glauco obducta. Caulis strictus, basi foliis obsessus. Folia infima 3 poll., 1 poll. lata, trinervia. Calyx angulatus, ad medium 5-partitus. Corolla calcare obtusissimo, rotundato instructa, extrorsum inter calycis lacinias prominente.

Plantam non vidi.

2. P. CALCARATA.

»Annua, minor, simplex; foliis caulinis remotis, pinnatim-partitis, longe petiolatis, glanduloso-ciliatis; racemo paucifloro; bracteis linearibus; corollis externe glabris, interne ad faucem papilloso-striatis, in calcar subulatum productis, stylo glabro, basi indusii atro-rubro barbata, margine brevissime atro-purpureo ciliato, capsulae loculis ultra medium dissepimento superatis, 5-8-spermis.

P. calcarata *Mull. in Linnaea* 1852. 423.

Crescit in declivibus lapidosis montium boreali-orientalium prope Cudnaka in Nova Hollandia. (Non vidi spec.)

Herba erecta, ad summum pedalis, plerumque humilior. Radix tenuis paulo torta, albida, simplex, descendens, paucis fibrillis capillaribus instructa; folia in caule flexuoso satis dissita, tandem radicalia conferta, ima oblonga, eaque integra in brevem petiolum cuneato-contracta, superiora sensim latiora, profundiusque divisa, i. e. grosse dentata, laciniata, denique media et superiora pinnatim-partita, ambitu plerumque ovata, 1-2 pollicaria, petiolo saepe pollicem longo decurrente (quo caulis acutangulus) insidentia, glabriuscula, margine crispato tamen uti costa petiolus caulisque pilis brevibus glandula terminatis ciliata; partitiones foliorum patentissimae, subopposítae, ovatae vel oblongae, acuminatae, acute dentatae vel incisae, inferiores remotae, minores, superiores cum lobo terminali confluentes. Racemus terminalis pauciflorus, interdum ad unicum florem depauperatus. Pedicelli alterni, patentes, floriferi 2‴, fructiferi 3‴ metientes, acute angulati, bracteolis duabus lineari-subulatis, 1-2‴ longis, obsessi et bractea lineari-angustissima ima saepius trifida ipsis longiore vel breviore suffulti, cum calyce et bracteis glanduloso-pilosi. Corollae cum stylo staminibusque glabrae, sed prope faucem striis papillarum e conjunctione loborum orientium albis praeditae, alis margine integris. Corollae addito calcare circiter 1″ longae, itaque illis P. albiflorae minores. Calcar subulatum, 1½-2‴ mentiens denique extrorsum curvum. Calycis laciniae tubo quinque-nervio, 3‴ longo duplo breviores, acutae. Stamina fere indusium attingentia, antherae fuscae, oblongo-lineares, in filamentis duplo longioribus albis patentes

basifixae, apiculo brevissimo papilloso terminatae. Stigmatis indusium ad angula (? sic!) continuum, margine pilis brevissimis obscure purpureis ciliolatum, dorso basin versus pilis longioribus, rigidulis, lucentibus, atro-rubris barbatum. Capsula ovata, calyci persistenti adnata chartacea ½''' longa, ¼''' crassa, septo haud multum ultra dimidiam altitudinem producto divisa, loculo quovis 5-8-spermo. Semina pallida flavescentia, paene 2''' longa, ovato-plana, utroque latere papillis minutis acutis subtiliter asperata. Floret initio veris."

XII. SELLIERA.

Corolla unilabiata, lobis apteris, purpurascens, in aestivatione valvata. Stigmatis indusium margine nudum. Pedunculi bibracteati. Capsulae biloculares, elongatae, costatae, bivalves, seminibus affixis dissepimento valvis parallelo, calyce coronatae. Semina biseriatim collateralia, subhorizontalia, marginata, orbiculata, lenticularia, alba, subdiaphana.

Sunt herbae repentes (an etiam inundatae?) radicantes, foliis obovatis, lanceolatis, carnosis, succulentis, glabris, vel membranaceis, pilosiusculis. Australiae et Chilensis imperii indigenae.

Cav. ic. 5. *p.* 49 *G. Don. syst. gen.* 725. *Goodeniae Sectio Br. prodr.* 579. *de Cand. prodr. VII.* 516.

1. S. REPENS. (†)

Glabra, repens, foliis lanceolatis, carnosis, acutis, lanceolatis, vel lineari-spathulatis, pedunculis bibracteatis, floris longitudinem haud aequantibus.

Cav. l. c.

G. repens *Labill. nov. holl. I. p. 53. t. 76. Brown prodr. 579. Poir. dict. 8. p. 849. de Cand. prodr. VII.* 516

Goodenia repens et radicans *R. et Sch. V. p.* 31, 32.

Lysipomia serpens *Kz. Pöppig. pl. Chil. III.* 34 (103). *Cfr. Schlecht. Linn.* 1833. *p.* 224.

Port Jacks, (*spec. Brownei*). V. D. L. R. Gunn. n°. 79 (*Mus. Caes. Vind.*) ibidem (*Herb. Hook.*)

Nov. Holl. Labill. (*Dr. Webb.* 1844). Nov. Holl. Coley. (*Herb. Delessert.*)

Folia admodum variant quod longitudinem, inde ab 0,04-0,16. »Flores sunt (teste Labill. l. c.) axillares, solitarii; pedunculi vix horum aequant longitudinem, sunt ad basin bracteis duabus, minutis, oppositis, subaequalibus, oblongis instructi. Calycis laciniae sunt ovatae. Corolla est coerulea, glabra, superne fissa, per longitudinem usque ad basin, limbo quinquefido, laciniis subaequalibus, ovatis, acutis, in adulto flore subsecundis. Antherae ovatae, acuminatae. Germen inferum, ovatum, fere attenuatum. Stylus supra pilis raris adspersus; stigma urceolatum, vix pilosum, ciliis ore rarissimis, medio septiferum" (quod tamen est verum stigma). »Capsula etc." uti supra est descripta.

2. S. RADICANS.

Glabra, radicans foliis obovato-lanceolatis, sub carnosis, subacutis, pedicellis in medio bibracteatis, flore longioribus.

S. radicans *Cav. l. c.*

G. » *de Cand. VII.* 516.

Valparaiso. Bridges. Cuming. (*Herb. Hook.*) Conception. Cuming. (*Hook. Herb. Mus. Caes. Vind.*) (*id. Herb. Delessert*).

Folia hic illic ad nodos caulis repentis collecta, fere 0,03 longa, 0,005 lata, enervia, plerumque apice subacuta. Planta propter staturam facile a priori specie distinguenda.

3. S. HERPYSTICA.

Glabra, radicans; foliis spathulato-lanceolatis, longe attenuatis, obtusiusculis; pedunculis 1-3-floris, bibracteolatis, flore paululum longioribus; bracteis calycis basi approximatis.

S. herpystica *Schlecht. Linn.* 1847. *p.* 598.

Crescit in Nov. Hollandia.
Specimen auctoris nondum vidi.

„Herba habitu et magnitudine Sellieram radicantem aemulans. Caules arcuato-subflexuosi, per intervallia pollicaria, breviorave folium emittens et radicem subsimplicem elongatam, pedunculumque axillarem folio suo multo breviorem, nunc uniflorum, nunc rarius ex axillis bractearum iterum pedunculos bibracteatos unifloros evolventem, triflorum, saepe deflexum flore erecto. Folia $1\frac{1}{2}$-$2\frac{1}{2}$ poll. longa, superne 3-5 lin. lata, ex inferiori attenuata, lineari parte petiolari sensim dilatata, in laminam spathulato-lanceolatam, plerumque obtusam, crassiusculam, nervo venisque reticulatim conjunctis extus non conspicuis. Pedunculus ad bracteas usque 4-6 lin. longus, bracteis lanceolatis, acutis, erectis, aequalibus. Corollae tubus laevis, laciniis calycis subaequalis, postice fere ad basin fissus, limbo in lacinias 5 anguste triangulares summo apice obtusiusculas marginibus leviter inflexas partito. Ex apice styli dependet, post perfectam foecundationem, corolla soluta. Indusium stigmatis (false dictum ab auctoribus) membranaceum, campanulatum, ciliatum; basis ejus est nunc terminalis, pilis longis, albis penicillato-barbata. Capsula multiovulata, bilocularis. In *S. repente* margo urceoli ciliis rarissime instructus est, hinc nullo modo nudus vocari potest."

XIII. TETRAPHYLAX.

Spica laxa, rara; calycis superi tubus turbinatus; corolla bilabiata, lobis alatis, tubo fisso; stamina quinque corollae ad-

nata, filamentis liberis, complanatis, antherae liberae. Ovarium quadriloculare, loculis multi-ovulatis; stylus simplex; stigma pilosum; fructus glaber, ad apicem calycis laciniis coronatus, summo vertice nudo, quadrilocularis, primum bivalvis, tum vero singula valva iterum plus minus bipartita, apice acuta e pressione seminum transverse arcuato-sulcata; septum centrale, cum suturis valvarum ante dehiscentiam cohaerens, deinde ab his solutum; semina lenticularia, nigra, margine crassiora, prominula, glabra, minute punctulato-exsculpta.

Tetraphylax *Don. gen. syst.* 3. *p.* 725. *de Cand. prodr. VII.* 515.

Nov. Holl. Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vind.*). Ad fl. Cygn. Preiss. Herb. 1474. — K. G. S. Baxter (*Herb. Hook.*).

1. T. QUADRILOCULARIS.

Foliis subovalibus et obovatis, dentatis, floribus remote-, vel ramoso-spicatis, axillaribusve.

T. quadrilocularis *Don.*
G. » *Br. prodr. p.* 577. *de Cand. l. c.*
Dampiera Lindleji *de Vriese pl. Preiss.* n°. 1474.

Ad flum. Cygn.

Herba gracilis, erecta, e radice perpendiculari, fusiformi orta, flexuosa, simplex, glabra, 0,36 longa; caulis teres; folia alterna, obovato-lanceolata, basin versus longe et anguste in petiolum attenuata, indeque spathulata, semi-amplexicaulia, membranacea, glabra, 0,03-0,04 longa, 0,006-0,008 lata, acuta, mucronulata, serrulata, erecta, erecto-patentia; spica laxa, rara, nunc basi subpaniculata; bracteae angustae, lineares, acuminatae, integerrimae; pedunculi erecti bracteas exce-

dentes, 0,013-0,020 longi, supra medium bracteolis binis oppositis, multo minoribus, conformibus, erectis praediti, uniflori; flores 0,015 longi, pube minutissima densa, canescente tecta; calycis tubus turbinatus, basin versus valde attenuatus, 0,003-0,004 longus, germini adnatus; limbus 5-partitus, persistens; laciniae oblongo-lanceolatae, acutae, fere 0,003 longae, erectae et interne puberulae; corolla pallide-flavescens, dorso longitudine lateraliter fissa; limbus 5-fidus; laciniae oblongo-lanceolatae, 3-nerviae, ad marginem utrumque ala angusta cinctae, 0,003 longae; stamina 5 libera, 0,004 longa; filamenta complanata; stigma crassum, indusium campanulatum. (Reliqua jam in diagnosi generis illustravimus).

XIV. STEKHOVIA.

Flores spicati. *Calycis* superi, adnati limbus aequaliter 5-partitus, laciniis subulatis, ovario longioribus. *Corolla* unilabiata, tubo fisso, laciniis alatis, lobis induplicatis. *Stamina* 5 corollae adnata, filamentis distinctis; antheris primum cohaerentibus, demum liberis. *Ovarium* biloculare, loculis multi-ovulatis. *Stylus* simplex, barbatus, stigmatis exserti, bilobi vel bifidi indusium tubulosum, corollae labio contrarium, ciliatum. *Capsula* bilocularis, polysperma; *seminibus* imbricatis, compressis.

Planta herbacea, vel forsan suffruticosa orae Novae Hollandiae meridionalis, foliis elongatis, dentatis, pedunculo communi scapiformi, floribus pedunculatis, bracteatis, in spica densa vel magis remotiflora dispositis.

Differt a Goodenia: inflorescentia, corolla unilabiata, stigmate bilobo, corollae labio contrario.

Est Sect. IV. Monochila G. Don. in genere Goodenia jam ab Ill. Browneo anno 1810 proposita in Prodr. p. 578.

1. S. SCAPIGERA.

Glabra, erecta, stricta, foliis approximatis, linearibus, lineari-lanceolatis, remote et acute-dentatis; spica terminali longissima, longe-pedunculata, floribus 2-3-nis, pedunculatis, rhachi communi accumbentibus, approximatis, vel etiam ad intervalla sejunctis, interruptis, in bracteae axilla pedicellatis, pedicellis bracteolatis; calycis lobis subulatis, ovarium longe superantibus.

Good. scapigera *Br. l. l. de Cand. l. c.*

Scaevola stricta *de Vriese in Lehm. pl. Preiss.* n°. 1511. *Vol. I. p.* 408.
Herb. Preis. 1511.

Nov. Holl. merid. Ferd. Bauer (*Herb. Mus. Caes. Vind.*). K. G. S. (*Herb. Hook.*).

Duas varietates admiserunt auctores, quae sunt:

α. pedunculo communi elongato, scapiformi, foliis lineari-lanceolatis, elongatis.

β. pedunculo communi mediocri, foliis ovali-lanceolatis.

Liceret tamen plures admittere formarum diversitates, tertiam quidem, nempe

γ. patentissimam, floribus patentissimis, a caule remotis. (Spec. Drumm. in *Herb. Mus. Caes. Vind.* ex Nov. Holl. Austr. occidentali.)

Descriptio specim. Ill. Auctoris.

Herba erecta, stricta, glabra. Specimen obvium est 0,30-0,43 cent. longum; caulis simplex, glaber, ad basin dense foliatus, caeterum nudus, paniculam spicatam gerens, subangulatus; folia elongato-lineari-lanceolata, acuminata, basin versus longe-attenuata, ima basi semi-amplexicaulia, coriacea, 0,05-0,06 cent. longa, 0,002-0,004 lata, nunc integerrima, nunc, imprimis apicem versus minute serrulata, glaberrima, desiccatione ruguloso-scabrida; *pedunculus* terminalis (sive caulis pars terminalis nuda), rarius hinc inde folio uno alterove minori et angustiore bracteali praeditus; rami inflorescentiae inferiores (pedunculi) rari, solitarii, alterni, 0,002-0,003 longi, tenues, graciles, folia sua bractealia aut bracteas paulo excedentes, apice plerumque triflori; superiores densiores, spicam congestam referentes, breviores, nunc tantopere abbreviati, ut fere evanescant, exinde flos medianus

sessilis et collaterales bini pedicello 0,004 longo, erecto suffulti, bracteis suis breviores, 2-3-flori; bracteae anguste-lineari subulatae, patentes, aut erecto-patentes, acutissimae, 0,008 longae, vix 0,001 latae; bracteolae ad apicem pedunculi et pedicellorum fere conformes; flores erecti, ampli, 0,015 longi, glabri; calycis tubus turbinatus, 5-angulatus, 0,003 longus, germini adnatus, limbus 5-partitus, 0,007 longus, erectus; laciniae anguste-lineares, acutissimae, bracteis bracteolisque conformes, persistentes, 0,01 longae; corolla 0,012 longa, dorso longitudinaliter fissa, decidua, pallide flavescens, glabra; limbus secundus, profunde 5-fidus, transverse 0,018 latus; laciniae lineari-oblongae, ala tenuiori, apicem versus latiori, ad marginem utrumque praeditae, indeque truncato-cuneatae, 0,007-0,008 longae, stamina et stylus e fissura corollae dorsali exseruntur, utraque corolla multo minora; stamina 5 libera, glabra, 0,005 longa; filamenta tenuia, subcomplanata; stylus 0,01-0,011 longus, robustus, rectus, pilis patentibus albidis hirtus; stigma cernuum; indusum complanato-cylindricum, flavescens, margine minutissime ciliolatum; fructus oblongo-ovatus, glaber, calycis limbo persistente coronatus, 0,006 longus, 0,003 latus, bivalvis, 1-locularis, monospermus.

Tab. XXXII. Fig. 1, 2. Planta. 3. Flos. 4. Fructus, adnato calyce. 5, 6. Antherae. 7, 8. Indusium. 9. Fructus dehiscens. 10. Dissepimentum cum seminibus. 11-12. Semen.

2. S. VISCIDA. (†)

Glabra, fucata, erecta, caule angulato, dense foliato; foliis parvis, oblongo-lanceolatis, aut lanceolatis, acutis, aut subacuminatis, basi acutis, dentato-serratis, nunc sub-integris, erectis, caule accumbentibus; pedunculis axillaribus, 1-floris, brevissimis, stigmate (teste Ill. Auct.) bifido, indusio glabro flavescente, cylindrico.

G. viscida *Br. l. c. de Cand. l. c.*

Luckhy-bay Br. (Spec. Auct.)

Herba erecta, stricta, simplex, 0,35 longa, nec furcata, glabra; caulis angulatus; folia 0,006-0,01 longa, 0,002-0,003 lata; bracteae foliis conformes, sed

angustiores et breviores, oppositae, erectae, florem sustinentes; calycis tubus turbinatus; corolla dorso ad basin fissa, secunda, 5-fida; stigma *simplex*, indusio ad faucem impresso, hinc fortasse bifido dicto! (Ad Spec. Ill. Auctoris.)

Dicavi viro expertissimo Hermanno Stekhovio, e gente antiqua hortulana, qui natus est anno 1758, obiit vero anno 1839, cultoris hortulani munere functus Horto Academico praefuit inde ab anno 1820-1839. In excolenda Flora patria egregie meruit, aliorumque studiis profuit, pluribus editis opusculis. In hoc munere successorem habuit filium Jacobum Stekhovium, paternae laudis haeredem.

Scripsit: *Kruidkundig Handboek, bevattende eene systematische beschrijving der in Nederland groeijende gewassen.* 2 Deelen, 1818. Praeterea edidit opusculum de terminologia plantarum.

XV. EUTHALES.

Calycis tubus ima basi ovario adnatus, 5-fidus, inaequalis. *Corollae* tubus hinc fissus, limbus bilabiatus. *Antherae* distinctae. *Stylus* indivisus. *Stigmatis* indusium, bilabiatum. *Capsula* quadrivalvis, basi bilocularis. *Semina* imbricata, compressa.

Herba Novae Hollandiae acaulis, habitu et inflorescentia Velleyae. Medium genus Goodeniam inter et Velleyam. A postremo genere differt tantum: calyce tubuloso ad medium nec ad basin fisso.

Euthale *R. Br. prodr.* 579. *Endl. gen.* n°. 3046 (*non Dietr.* Velleya *Labill. nec Sm.*) Euthale *de Cand. l. c. VII.* 517.

1. E. TRINERVIS.

Folia oblonga in petiolum longe attenuata, integerrima, aut hinc inde subdentata, fere aut vix trinervia dicenda, nam nervuli laterales vix conspicui sunt.

E. trinervis *Br. de Cand. l. c.*
Velleia » *Labill. Nov. Holl. I. p. 54. t. 77.*
Goodenia tenella *Andr. bot. rep. t.* 466. *Sims. bot. mag. t.* 1137. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 414.

Nov. Holl. K. G. S. (*Herb. Ill. Brown*). — Sw. Riv. Drummond 1843. n°. 405. — V. D. L. (*Herb. Delessert*) — Sw. Riv. Herb. Preiss. 1515. — Sw. Riv. Drumm. 1839. — Sw. Riv. Districh Comm. J. Mangles 1837 (*Herb. Lindl.*) — Lewins-Land et V. D. L. Hugel. (*Herb. Caes. Vind.*)

Sic specimen descripsit Labillardière l. l.

»Planta herbacea, caulibus dichotomis, substriatis, interne flexuosis; foliis radicalibus oblongis, in petiolum longiorem paulo decurrentibus, axillis pilosis; folia vero caulina sessilia, bracteiformia, e dichotomiis opposita, radicalibus multo breviora. Calyx campanulatus, pilis intus adpressis, limbo quinquefidus, laciniis subacutis, vix aequalibus. Corolla monopetala, sulphurea, tubo intus pilosa, bilabiata, labio superiore bipartito, inferiore trifido, laciniis omnibus acutis, hispidis, costis incrassatis. Staminum filamenta sub corolla inserta; antherae oblongae, adnatae, biloculares. Germen inferum, ovatum; stylus complanatus; stigma urceolatum, ciliatum, medio septiferum (!). Capsula semibilocularis, quadrivalvis, valvis fere ad basin usque dehiscentibus. Semina plura, suborbiculata, utrinque plana, rugulosa, margine cartilaginea, imbricata, affixa utriusque dissepimento, paribus valvarum parallelo; corculum in perispermio carnoso; radicula infera, teretiuscula, longiori cotyledonibus ovatis, foliaceis."

2. E. MACROPHYLLA.

Suffrutescens, 2-3-pedalis, erecta, robusta, glaberrima; folia elliptico-oblonga, acuta, basi in petiolum semi-teretem, ima basi dilatatum semi-amplexicaulia, laete viridia, repando-dentata et in dentibus mucronulata; pedunculis terminalibus in paniculam maximam, dichotomam dispositis; corolla laete aurantia; stigmate ab uno late, ultra indusium producto; fructu oblongo; seminibus discoideis, compressis.

E. macrophylla *Hort. Lugd. Bat.*
» » *de Vriese in Maandschr. van ned Tuinbouw*, 1851.

Patria Nov. Holl. In Hortis frequenter culta.

S. W. Austr. Drumm. 1848. — Sydney-Clowes. Sw. Riv. Drumm. 1841. (*Herb. Hook.*)

Herba vel suffrutex robustus; folia 0,07-0,1 longa, 0,04-0,025 lata, superiora sensim minora et opposita, inferioribus conformia, sed brevius petiolata, summa sessilia; pedunculi omnes terminales, teneri, erecti, glabri, teretes, 0,020-0,025 longi, fructificantes dein reclinati, post semen emissum iterum erecti, a ramis axillaribus multo elongatis superati; axillae foliorum floralium aut bractearum lanatae e pilis canescentibus, longis, intricatis; flores erecti, solitarii, glabri; stigma hirsutum, campanulatum, cernuum, ad indusii marginem longe-ciliatum; fructus una basi calyci persistenti adnatus, in superiore parte uni-, in basi bilocularis; valvae in dehiscentia revolutae, oblongo-lanceolatae, glabrae.

Tab. XXXIII. Fig. 1. 2. Pars plantae. 3. Flos. 4. Lobus. 5. Alabastrum. 6. Stamen. 7. Stigmatis indusium a latere, 8. Idem antice visum. 9. Calyx. 10. Idem apertus. 11. Fructus. 12. Idem apertus. 13. Semen.

3. E? FILIFORMIS.

Dichotoma, foliis radicalibus squamaeformibus; caulibus ramisque filiformibus, aphyllis; calycibus 3-fidis, subaequalibus (Caetera. non vidi).

E. filiformis *de Vriese in Lehm. pl. Preiss.*

Ad flum Cygn. Herb. Preiss. n°. 1889.

Habitus *Junci bufonii*, sed genus dubium est.

XVI. VELLEIA.

Calyx tubo suo adnatus ovario, 3-5-phyllus (partitus), segmentis ineaqualibus. *Corollae* tubus ima basi ovario subadna-

tus, superne hinc fissus, limbus bilabiatus, lobis margine alatis. *Antherae* distinctae. *Stylus* indivisus. *Stigmatis* indusium maximum ciliatum. *Glandula* epigyna inter duo filamenta anteriora. *Capsula* basi bilocularis, valvulis bipartitis. *Semina* imbricata, compressa.

Sunt herbae Australasicae, acaules. Folia radicalia subspathulata, saepius dentata, nunc lyrata. Scapi dichotomi; axillis plerisque floriferis, bracteis oppositis, foliaceis, quandoque maximis et nunc connatis. Calycis foliolum superius latius et basi saepe dentatum. Corolla flava, basi adhaerenti infra gibba vel calcarata. Stylus subtetragonus. Stigmatis indusium maximum.

Velleia *Smith in Linn. trans. IV. p.* 217. *Brown. prodr.* 580. *de Cand. prodr.* 517. *Endl. gen.* n°. 3047. *Velleja Lindl.* Velleya *Rom. et Sch. V. p.* 5.

Illustr. Browneus admisit in hoc genere duas sectiones, quae sunt:

I. Calyx 5-phyllus; corolla basi calcarata, calcare persistente. *Menoceras* R. Br. l. c.

II. Calyx 3-phyllus. Corolla basi huic gibbosiuscula. *Velleiae verae* R. Br. l. c.

I. *MENOCERAS.*

1. V. PARADOXA. (†)

Foliis obtuse-dentatis; scapa suberecto, foliis multis longiore.

β. humilis, foliis inciso-sublyratis; scapis adscendentibus, folia paulo superantibus.

V. paradoxa *Br. l. c.* 580. *Lindl. bot. reg. t.* 97. *Gard. mag.* 1828. *t.* 7. *de Cand. prodr. VII.* 518.

Van Diemensland (*Brown Herb.*) — Port Phillips. Sept. 1840. R. Gunn. Esq. — S. Australia. Whittaker. — Sydney. Clowes. — N. S. W. Bynoe. — K. G. S. Wakefield. — Sw. Riv. 401. Drumm. — Darlius Range Collie. — V. D. L. R. Gunn. — Ravensworth. Darlington. — V. D. L. Laurance. 154 ad 1831 (omnia in *Herb. Hook.*). Interior of New Holl. Mitchell (*Herb. Lindl.*) — V. D. L. Gunn. — ib. Laurance. — Nov. Holl. Ferd. Bauer. — Australasia. Hugel. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*)

Specimina eximie variant quod attinet diametros cum stirpium ipsarum, tum praeprimis foliorum. Specimen Mitchellianum in Herb. Lindleji, Viri Illustr. habet longitudinem 0,4. Folia in eodem fere 0,15 longa, in medio vero fere 0,04 lata. Specimen Illustrissimi Auctoris vix 0,3 aequat et ipsa folia fere 0,1 longa et 0,01-0,015 lata sunt. Caules sunt erecti, stricti, nudi, hic illic foliolis duobus oppositis, linearibus, vix 0,005 longis, 0,001 latis instructi.

Dubito num inter plantas Lindlejanas a me visas intersit varietas a Candolleo speciei diagnosi postposita.

2. V. ARGUTA.

Glabra, foliis argute serratis!

V. arguta *Br. in Novae Holl. ora merid!*

Specimen Auctoris Illustr. neque aliunde videre mihi licuit. Sed in Herb. Lessertiano vidi specimen a Celeb. Drummondio lectum ad Sw. Riv. 1844. n°. 189. In hoc video folia argute-*dentata*; quod specimen ipsum est semi-pedale. Tota planta est herbacea, continuo dichotoma. Forsan huc pertinere debet. Sunt folia 0,10 longa, 0,02 lata, glaberrima, membranacea.

II. *VELLEIAE VERAE.*

3. V. LYRATA. (†)

Glabra, foliis basi inciso-dentatis aut sublyratis, bracteis dichotomiarum distinctis; calycis segmentis duobus ovatis, uno majore orbiculato.

V. lyrata *Br. prodr. l. l. Lindl. bot. reg. t.* 551. *Sieb. Nov. Holl. fl. exs.* n°. 223. *Guillemin. icones lithographicae pl. austr. rariorum decades* 2. *p.* 580. *t.* 4. *Hook. exotic. flora t.* 24.
» spathulata *Juss. et Rich. Ann. Mus. Par.* 18. *p.* 17. *t.* 1. *fig.* 4 (non *Br.*).
» dichotoma *quorumdam Auctorum.*
» lyrata *de Cand. prodr. VII. p.* 518.

Vidi spec. Ill. Auctoris, quod habet folia basi subinciso-dentata. Port. Jacks. (Br.) Hoc quidem proxime accedit ad typum speciei quem proposuit Guillemin. Huc proxime accedit spec. Ferdin. Baueri (*Mus. Caes. Vind.*), et ipsum Labillardierii specimen e Nov. Holl. cui adscriptum: V. dichotoma Smith.

Vera folia lyrata habent duo specim. Herb. Mus. Caes. Vind. quorum alterum est Hugelianum ex Horto bot. Botany-Bay, alterum sine Inventoris nomine ex N. S. W. prope Sydney. In Herb. Hookeri haec vidi specim. Sieberi fl. n. Holl. exs. 233. Drumm. Sw. Riv. 402. — Sydney Baxteri K. G. S. — Bynoe P. Jackson. — In Herb. Delessert haec vidi: Andersoni Port Jackson 1832. — Spec. Authenticum. — Sieberi Nov. Holl. 1826. Drumm. Sw. River 1843. — Nov. Holl. Coley.

4. V. SPATHULATA.

Glabra, foliis oblongo-spathulatis, sub-edentatis, basi integerrimis; axillis barbatis; bracteis dichotomiarum distinctis.

V. spathulata *Br. l. c.* 580. *de Cand. l. c.* 518.
E. pilosella *de Vriese in pl. Preiss.* 401.

In Nov. Holl. intra Tropicum et ad Port Jackson. Keppelbay. East Coast. Spec. Authenticum, ab Ill. Viro mecum communicatum; idem in Herb. Delessert. Huic valde analoga vidi a Ferdin. Bauero data in Herb. Mus. Caes Vindob. — Accedit etiam spec. n°. 1438. Herb. Preissiani olim a me pro Euthales specie declaratum. Tandem commemorare licet spec. Caley, ex K. G. S. 1840, et aliud N. Holl. S. Ouest ex Herb. Ventenat (*Herb. Delessert*). An satis ab hac diversa, quae sequitur:

5. V. PUBESCENS. (†)

Pubescens, foliis dentatis, bracteis dichotomiarum distinctis, calycis segmentis oblongo-acutis. Caules foliorum radicalium longitudini aequales, aut eadem superantes.

V. pubescens *Br.* 581. *de Cand. l. c.* 518.

Nov. Holl. Broad Sound (Specim Brownei). Specim. Ferd. Baueri (*Herb. Mus. Caes. Vind.*), tota superficies foliorum est pilosa; folia ipsa sunt dentata-vel sinuato-dentata, dentibus argutis exsertis, vel obtusis. Caules plerumque tamen folia longe superant.

6. V. PERFOLIATA.

Glabra, bracteis dichotomiarum maximis, connatis, subrotundis, dentatis.

V. perfoliata. *Br.* Port Jackson.

Specimen Auctoris non vidi.

7. V. LANCEOLATA.

Caule procumbente, foliis lanceolatis, basi angustatis, subdenticulatis, pilosiusculis, axillis villosis; superioribus linearibus, pedunculis brevioribus; calyce pentaphyllo, piloso; corolla basi gibba.

V. lanceolata *Lindl. Sw. Riv. Coll. Append. in bot. reg. XXVI. l. c.*

Vidi spec. Ill. Lindleji, cui adscripta haec sunt: Swan River District Comm. J. Mangles 1837. Interior of New Holl. Major Mitchell's Exped. 183... Eadem forsan species est Sw. Riv. Drummond 1839 (omnia in Herb. Illustr. Lindleji).

Idem ex N. Cal. in Herb. Hook. tum etiam sqq. specimina huc pertinent in eodem herb. obvia. Armstrong. 605 collectum m. Aug. 1840 in Raffles-bay. 369-1839, coll. — Drummond. Sw. Riv. 42. — Port Phillip 25-42 legit R. Gunn. Esq. — Sw. Riv. Drumm. n°. 409. 1843. Folia sunt oblongo-spathulata, remote-exserte- pauci-dentata. Flores (teste Lindleji) sunt flavi. Ex calycis structura non ad secundam sectionem Browneanam, sed ad primam debet referri.

8. V. MACROCALYX.

Foliis oblongo-spathulatis, acutis, integris, membranaceis, remote-, minute- et obsolete-dentatis, uninerviis, glabris, subdecurrentibus, scapis elongatis, folia vix aequantibus, bracteis dichotomiarum binis vel subternis, lanceolatis, acutis vel lineari-lanceolatis; floribus 2-3-nis; calycibus (involucris) magnis, membranaceis, ovatis, ellipticisque, acuminatis, basi cordatis, petiolatisque; antherae liberae; stigmatis indusium maximum, ciliatum, labiis compressis, cochleariforme.

V. macrocalyx *de Vriese, in Mitchell's Journ. of an expedition into the interior of trop. Australia.* 1848. *p.* 258. *Herb. Mitchelliani.* n°. 237. 1846.

Folia sunt 0,06-0,12 longa, 0,03 lata, crassinervia; scapi adscendentes, inferne tenuiores, sursum dichotomi, dichotomiis tamen brevibus.

Tab. XXXIV. Fig. 1. Tota planta. 2. Flos. 3. Antherae. 4. Stylus. 5. Stigma cum indusio 6. Idem apertum. 7. Calyx. 8. Sepalum.

9. V. MONTANA.

Acaulis, pilosa, vel glabrata; foliis omnibus radicalibus stellatim patentibus, petiolatis, spathulato-lanceolatis, obovato-lanceolatisve, integerrimis; scapis plurimis, brevibus, ramosis; bracteis distinctis; calycis foliolis lineari-oblongis, basi edentulis; corolla unilabiata vel fissa; ovario styloque puberulis.

V. montana *J. D. Hook. in Florae Tasmann specilegio. Lond. journ. of bot.* 1847. *p.* 265.

Hampshire Hills. Marlborough and Western Mountains (3000'). Gunn. Laurance. v. v. Auct. Vidi spec. Auctoris in Herb. J. W. Hook. (*Herb. Caes. Vind.* Rob. Gunn. V. D. L.)

Herba depressa. Radix crassa, fibris descendentibus aucta, collo brevissimo. Folia e collo orta, stellatim-patentia, terrae adpressa, 1-2 unc. longa, pilis patulis plus minusve hispidula vel glabrata, subcoriacea, luride-viridia. Scapi folio breviores, ter pluriesve divisi, calycesque patentim pilosi. Bracteae lineares, vel lineari-oblongae. Corolla unilabiata, nunc dorso fissa et subbilabiata, basi integra, ovario adnata. Stamina libera. Capsula parva, glaberrima, loculis 2-4-spermis.

XVII. DIASPASIS.

Calyx ovarii tubo adnatus, limbus abbreviatus, 5-fidus. Corolla subregularis, hypocrateriformis, tubo 5-partito genitalia includente, lobis alatis adscendentibus, unguibus basi connexis supra pube brevissima capitata instructis *Antherae* liberae, imberbes. *Ovarium* uniloculare, dispermum.*Indusium* stigmatis ore nudum. *Nux* corticata, sive drupa exsucca, monosperma, semi-bivalvis. *Herba* erecta, subramosa, glabriuscula. *Pedicelli* axillares, uniflori apice bracteas duas, foliiformes gerentes.

Proximum genus Scaevolae *Auctorum*, sed jam anno 1810 in Prodromo tamquam proprium genus propositum.

Rob. Brown. prodr. 586. *G. Don. gen. syst.* 3. *p.* 730. *Endl. gen.* 3039. Diapasis *Poir. suppl.* 2. *p*, 468. *de Cand. prodr. VII.* 504.

Est unica species:

1. D. FILIFOLIA. (†)

Prodr.** **l.** **c.** **de** **Cand.** **l.** **c.

Ad Port. Reg. Georgii. Specim. Brownei, Hugelii, Ferd. Baueri (***Mus. Caes. Vind.***). Flum. Cygu. Drumm. In Collibus Whittaker K. G. S. Wakefield 1829 (***Herb. Hook.***).

Descriptio specim. Illustr. Auctoris.

Herba pusilla, 0,18 longa, erecta, ramosa, junior pube adpressa minute conspersa, deinde glabrata; caulis subangulatus, (desiccatione?) sulcatus, rami erecti, oligophylli ; folia alterna, coriacea, anguste linearia, acuta, basin versus attenuata, ima basi paulo dilatata, semi-amplexicaulia, 0,02-0,04 longa, vix 0,001 latitudine superantia, integerrima, primo pilis albidis conspersa, dein glaberrima; pedunculi axillares solitarii, erecti, uniflori, folio suo paulo longiores, 0,018-0,02 longi, apice bibracteati; bracteae binae oppositae, foliiformes, foliis summis paulo breviores, 0,008-0,011 longae, erectae, persistentes; flores in axilla bractearum sessiles, solitarii, cernui, 0,013 longi, externe pilis albidis, antrorsis, adpressis dense tecti; calyx valde minutus, vix 0,002 longus, tubus teretiusculus, limbus brevis, 5-partibus, laciniis ovato-acutis; corolla subregularis, subbilabiata, dorso nec ad imam basin fissa, 5-partita, hypocraterimorpha (Brown); laciniae binae superiores profundius a reliquis sejunctae, labium superius referentes minores, tres reliquae minus profunde inter se junctae, inferius formantes labium, majores, 0,01 longae, 0,004 latae, intus ad ungues (tubi fissi facies interior) pilis minutis albidis, clavatis vel capitatis dense villoso-obtectae, lineares, vix lineari-lanceolatae, ad latum utrumque ala cinctae, indeque oblongae, obtusae, basi attenuatae; stamina libera et stylus intra corollae tubum absconduntur; stigma erectum, vix bifidum (semibivalve Br.!), pilosum; fructum non vidi.

XVIII. DISTYLIS.

Calyx ovario adnatus, limbo libero 5-partito, persistens.

Corolla decidua, tubo postice fisso; limbo quinquepartito, patente, subbilabiato, laciniis margine tenuioribus. *Stamina* quinque distincta. *Stylus* bipartitus; *Stigmatis* membranula cupuliformi, ciliata involucrata. *Capsula* calyce persistente coronata, semi-bilocularis; dissepimentum abbreviatum, valvis parallelum. *Semina* imbricata, compressa, orbiculata, membrana cincta.

Herba pilosa, annua, multicaulis. Caules subsimplices. Folia alterna, dentata. Flores axillares, solitarii, longe pedunculati, racemosi, ebracteati, flavi. Genus propter duos stylos maxime characteristicum.

Gaud. in Freycin. Voy. autour du monde. Paris 1826. *p.* 460. *t.* 80. Goodenia *Gaudich. in MSS. olim.*

1. D. BERARDIANA.

Unica species, lecta in Novae Hollandiae ora occidentali (Baie des chiens-marins). Vidi in Herb. Mus. Parisiensia specimina sine floribus.

XIX. CALOGYNE.

Calyx superus, limbo 5-partito, laciniis aequalibus *Corolla* bilabiata. *Antherae* liberae. *Stylus* apice trifidus. *Glandula* epigyna, inter filamenta duo inferiora. *Capsula* subunilocularis, dissepimento abbreviato. *Semina* imbricata, compressa.

Herba Novae Hollandiae, pilosa, annua, Goodeniae formam prae se ferens, foliis alternis, linearibus, elongatis, dentatis vel incisis, floralibus basi auriculatis; pedicellis axillaribus, unifloris, ebracteatis, fructiferis reflexis. A Goodenia, ad quam a

Sprengelio erat relata, separavit Browneus ob stylum trifidum, lacinia singula stigmate indusiato instructa. Quod, num recte fecerit in Prodromo rogat Auctor (1810). Recte sic fecisse sibi visus est, nam anno 1852 mihi specimen sub eodem nomine obtulit.

Calogyne *Br. prodr. p.* 579. *G. Don. gen. syst.* 3. *p.* 726. *Endl. gen.* n°. 3044. *de Cand. prodr. VII.* 517.

1. C. PILOSA. (†)

l. l. cit. Goodenia dubia *Spr. Syst. I. p.* 72.

Vidi spec. Brownei ex ora Sept. Nov. Holl. id. authenticum spec. vidi in Herb. Delessert, et Ferd. Baueri (in *Herb. Mus. Caes. Vind.*). N. W. Coast Bynoe et Armstrong n°. 402 (*Herb. Hook.*).

Descriptio speciminis Ill. Auctoris.

Herba annua, erecta, ramosa, siccata (teste Auctore Ill.) odorem habens Anthoxanthi odorati, pilis patentibus, albidis hirsuto-pilosa; rami inferiores dichotome-ramosi, patentim erecti, teretes, foliati. Folia inferiora spathulata, apice rotundata, longiter in petiolum attenuata, integerrima, 0,25-0,03 longa, cum petiolo 0,06 lata, eleganter ciliata, superiora sensim minora et angustiora, imoque minus dentata, linearia, aut lineari-lanceolata, denticulata, aut integerrima, acuta, basi saepe pinnatifida, indeque auriculata (Brown), 0,015-0,04 longa, 0,001-0,002 lata, patentia; pedunculi axillares, uniflori, folio breviores, patentes, 0,08-0,01, hirsuto-pilosi; flos erectus, bractea nulla suffultus; calyx est dense pilis adpressis, albidis obtectus, hirtus; tubus germini est adnatus, limbus 5-partitus, 0,004 longus, laciniae sunt lineari-lanceolatae, acuminatae, pilis longis, sparsis obtectae et ciliatae; corolla calycem excedens, externe hirsuta, interne nuda, glaberrima, dorso ad medium fissa, secunda; limbus bilabiatus; laciniae binae laterales, superiores, angustiores et breviores labium superius referentes quasi auriculus limbi, tertia vasta, lata, lateralibus multo longior, trifida, lacinulae anguste lineari-lanceolatae, ala sat lata ad utrumque latus praeditae; stamina 5 erecta, libera, tenuissima; filamenta

tenuiora et duplo longiora quam antherae oblongae, 0,001 longae; glandulae binae inter filamenta duo inferiora, quasi rudimenta filamentorum haud perfectorum brevia referentes; stigma trifidum, ut stylus uti et indusium, quod ad marginem superiorem est dense ciliato-barbatum; pedunculi fructiferi reflexi; fructus globosi, calyce coronati, caetera ut in Auctoris diagnosi; semina imbricata, obovata, complanata, 4-6.

XX. LESCHENAULTIA.

Calyx superus, tubo ovario adnato, lobis 5 lineari-subulatis. *Corollae* tubo hinc longitudinaliter fisso, limbo subbilabiati lobis subserratis. *Antheris* sub anthesi adhaerentibus. *Pollinis* granula e globulis quatuor connatis composita. *Capsula* prismatica, bilocularis, 4-valvis, valvis oppositis, medio septiferis. *Semina* cubica, nucamentacea.

Fruticuli ericoidei; floribus axillaribus vel terminalibus, capsulis valvatis, foliis alternis, angustis, integerrimis. Novae Hollandiae indigenae.

Leschenaultia *R. Brown prodr.* 581. *G. Don. gen. syst.* 3. *p.* 727. *Endl. gen.* n°. 3048. *de Cand. prodr. VII*. 518.

1. L. GRANDIFLORA. (†)

Foliis linearibus, distantibus, acutis; floribus axillaribus, in corymbo dense aggregatis, pedicellis ebracteolatis; sepalis tubo corollae aequalibus; corolla externe glabra, interne stuposa, laciniis subciliatis, filamentis glabris.

L. grandiflora *Lindl. Veg. Sw. Riv. Col. App. bot. reg. XXVII.*

Ad flum. Cygn. Capt. Mangles. (*Herb. Lindl.*).

Planta imprimis facile floribus coeruleis dignoscenda, tum etiam foliis valde distantibus, elongatis. *L. grandiflora* de Cand. videtur esse alia species, propter flores in apice ramorum solitarios et alis corollae serratis. Caeterum in hac quoque Candolleana corollae sunt coeruleae. Sed folia sunt diversa.

2. L. DRUMMONDI.

Floribus ad apices ramorum solitariis geminisve, basi bibracteatis; corollae limbo bilabiato, lobis mucronatis, ciliatis, late alatis, serratis; foliis tenuibus, fere subulatis, mucronatis; corolla coerulea ampla, ovario excluso fere pollicem longa, lobis late dorso trinerviis, apice mucronatis: alis amplis, serratis. Calycis tubo gracili lobis subulatis. Indusio sparse pubero.

L. grandiflora *de Cand.* Celeb. Auctor manifesto ob oculos habuit simile individuum, quale etiam mihi obvium in Herb. Mus. Caes. Vindob. nempe n°. 292. Sw. Riv. Drumm. Huc etiam pertinet specimen Preissianum n°. 1463 a me olim inter ejusdem plantas sub nomine *L. grandiflorae* de Cand. admissum. Cfr. *Lehm. pl. Preiss.* 415.

Folia brevia, subulata, mucronata. Corolla coerulea, ampla. Calycis tubus 6-7 lin. longus. Secundum Preiss est suffrutex pedalis, floribus laete coeruleis.

3. L. BILOBA. (†)

Foliis linearibus, floribus in corymbo paucifloro laxe aggregatis; pedicellis ebracteolatis, sepalis tubo corollae vix aequalibus; corolla extus glabra, intus stuposa; laciniis alte bilobis, serrulatis mucrone interjecto; filamentis glabris.

L. biloba *Lindl. bot. reg. XV.* 2. *Paxt. mag. VIII.* 151. *Paradisus Vindobonensis fasc. X. de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 415. Excl. syn. quorumdam herb. *L. grandiflora* de Cand.

Vidi spec. Ill. Auctoris (Joh. Lindleji) a Drummondio 1839. Sw. Riv. lectum. Specim. idem in Herb. Hook. n°. 142. 415. n°. 3. Preiss. 1466.

Suffrutex bipedalis; foliis approximatis, 0,01 longis, calycis laciniis filiformibus; corolla pulchre coerulea, ungue flavescente, mucrone albo.

Tab. XXXV. Fig. 1. Planta. 2. Flos. 3. Lobus corollae. 4. Stamina. 5. Stigma. 6. Idem bilabiatum, a latere visum. 7. Fructus.

4. L. TUBIFLORA. (†)

Floribus subterminalibus, solitariis, subsessilibus; corollis tubulosis, curvatis, limbo conniventi; foliis subulatis mucronulo pellucido; corollis glabris, 0,006-0,097 longis, lobis aristato-mucronatis.

L. tubiflora *Br. prodr.* 581. *de Cand. prodr. VII.* 519. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 415.

Nov. Holl. Austr. Lewins-Land. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vind.*). Drumm. Sw. Riv. 65. K. G. S. Baxter (*Herb. Hook.*) Preiss. 1459. 1458.

5. L. PINASTROIDES.

Glaberrima, caulibus fruticosis, adscendentibus, ramulosis; foliis confertissimis, rigidis, triangularibus, lineari-subulatis, diaphano-mucronatis, glaucis, floribus terminalibus, solitariis, corollae limbo unilabiato, laciniis integerrimis, aristato-mucronatis.

Lehm. pl. Preiss. II. 244.

In glareosis, arenosisve inter montem Maruspeak, Tjilberup et Cape Riche. Herb. Preiss. n. 430.

Tota planta glaberrima. Caules ex eadem radice permulti, adscendentes vel humifusi, digitales et fere pedales, lignosi, inferne albicantes, superne valde ramulosi;

ramulis brevibus, foliosis, apice unifloris. Folia confertissima, rigida, subacerosa, erecta, glauca, lineari-subulata, triangularia, mucrone diaphano saepe incurvo terminata, subsemipollicaria, seniora subincurva, fuscescentia. Flores in summis ramulis terminales, erecti, solitarii, brevi-pedicellati, ebracteati. Calycis laciniae foliis omnino consimiles, at multo breviores, aequali fere longitudine. Corolla unilabiata, calyce triplo longior, ultra medium fissa, viridi-sulphurea (Preiss.); limbi laciniis patentibus, lanceolatis, subaequalibus, integerrimis (nec serratis, ciliatis vel fimbriatis), aristato-mucronatis. Filamenta filiformia, plana, glabra, calyce breviora; antherae oblongae, cohaerentes. Stylus longitudine fere corollae, apice incurvus; stigmate obsoleto, in fundo indusii profunde bilabiati, subtilissime puberuli.

Foliis rigidis subacerosis differt a *L. expansa* et *floribunda*, a *L. laricina*, foliis triangularibus, a *L. glauca* floribus terminalibus solitariis et laciniis corollae integerrimis (Lehm.).

Tab. XXXVI. Fig. 1. Lesch. pinastroides Lehm. 2. Flos a latere visus. 3. Lobus corollae. 4. Stamina cum pistillo. 5. Stamen.

6. L. GLAUCA.

Foliis linearibus, trigonis, incurvis, glaucis, dense imbricatis, apiculo acuto; floribus axillaribus, in corymbo denso aggregatis; pedicellis ebracteolatis; sepalis corollae tubo multo brevioribus; corolla unilabiata, extus glabra, intus stuposa, laciniis ciliatis; filamentis glabris.

Lindl. Sw. Riv. Col. App. n°. 115.

Sw. Riv. Drumm. 1839. id. mr. Toward. (*Lindl. Herb.*) — Sw. Riv. Dr. 2. n°. 2. Flinders Bay Collo N. H. Preiss. 1468. quem numerum in pl. Preiss. olim consideravi tamquam varietatem *L. pallescentis* Nobis p. 415. Hugel. aliiq. (in *Herb. Vind.*). An syn. *L. linarioides* de Cand.?

Vicina *L. expansae* Br., a qua differt defectu bracteolarum.

7. L. EXPANSA. (†)

Floribus axillaribus in corymbum pauciflorum confertis, pedicellis

bibracteatis; corollae limbo unilabiato, lobis ciliatis; foliis erectis, mucronatis. Calycis tubus elongatus. Corolla externe glabra, striata, lobis margine et apice ciliatis.

Rob. Brown in prodr. l. c. 581. *de Cand. prodr. VII.* 519.
L. pallescens *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. p.* 415. n°. 1468.

K. G. S. (spec. Ill. Auctoris.) Spec. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vind.*).

8. L. FORMOSA. (†)

Floribus axillaribus, solitariis, ebracteatis, nutantibus, corollis bilabiatis filamentisque glabris; foliis linearibus, teretibus, patulis, non mucronatis.

L. formosa *Br. l. c. Sweet fl. austr. t.* 26. *non Lindl. nec Hook.*
» » *de Cand. prodr. VII.* 519. *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 414.

Nov. Holl. ora merid. Ferd. Bauer (*Mus. Caes. Vind.*). Fl. Cygn. Preiss. 1457. (*Herb. Acad. Lugd. Bat.*).

9. L. LARICINA.

Foliis dense imbricatis, linearibus, glaucis, apiculo acuminato; floribus axillaribus, in apice ramorum subternis; pedicellis ebracteolatis; sepalis tubo corollae brevioribus; corolla glabra, basi intus stuposa; filamentis glabris.

L. laricina *Lindl. Sw. Riv. Col. App. XXVII.*
L. parviflora, tenuifolia *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 431.

Sw. Riv. Drumm. 1839. (*Herb. Lindl. spec. Auct. Ill.*) Sw. Riv. Preiss. n°. 1462. 1460. — Drumm. 1843 (*Herb. Delessert*). (Id. in *Herb. Mus. Caes. Vind.*) Nov. Holl. Collie. Inter K. G. S. et Sw. R. Drummond (*Herb. Hook.*).

10. L. FLORIBUNDA.

Floribus terminalibus, corymbosis, corollae limbo unilabiato, laciniis ciliatis; foliis lineari-subulatis, mucrone brevissimo, pellucido; corollae ex sicco-albae.

L. floribunda *Benth. in Hug. enum. p.* 70. *de Cand. prodr. VII. p.* 519.

Sw. Riv. Hugel. (*Mus. Caes. Vind.*) Drumm. ad Sw. Riv. et Baxter ad K. G. S. (*Herb. Hook.*)

Corolla est magnitudine *L. formosae*, sed tubus est ad basin fissus ut in *L. expansa.*

11. L. ARCUATA.

Suffruticosa, multi-ramosa, ramis divaricatis, arcuatis, retortis; foliis vix conspicuis, brevissimis, capilliformibus; floribus pedunculatis, majoribus; calycis laciniis linearibus; corollae lobis latioribus, dentatis, vel subserratis, apice mucronulatis, tribus latissimis patentibus bifidis, flavis, duobus superioribus minoribus, integris, stamina stylumque includentibus, rubris, tubo brevi ventricoso, interne hinc sericeo; capsula 4-valvi; seminibus quadratis,

L. arcuata *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I. Hook. bot. mag. t.* 4265.

Ad Sw. Riv. Preiss. n°. 1465. Drumm. 1839 (*Lindl. Herb.*). Australasia Hugel. (*Herb. Mus. Caes. Vind.*) Baie des chiens-marins (*Herb. Delessert*).

Tab. XXXVI. Fig. 6-11. L. arcuata. 6. Fructus. 9. Idem hians. 7. Idem cum calyce. 8. Stigma. 10. Semen. 11. Idem varia facie et magnitudine aucta.

12. L. SPLENDENS.

Suffruticosa, erecta, ramosissima; foliis subflexuosis, filiformibus, compressis, apiculatis, patentibus, calycibus ebracteatis, corymbis 3-5-floris

(floribus nunc subsolitariis), calyce ebracteato; corollae coccineae tubo elongato intus hirsuto, reliquo glabro, segmentis cuneatis, patentibus, subaequalibus, bifidis, cum mucrone tubum subaequantibus.

β. stricta floribus plerisque solitariis, corollae intensius coccineae laciniis angustioribus, ramis magis virgatis.

Hook. Bot. mag. 4256. Nov. Holl. flum. Cygn. Novi tantum ex figura et descriptione Hookeriana.

XXI. LATOURIA.

Calycis tubus ovario adnatus, lobis 5 lineari-subulatis. Corollae tubo longitudinaliter-fisso, limbo subbilabiato, lobis subserratis. Antherae cohaerentes. Pollinis granula quaternatim cohaerentia. Capsula prismatica, tantum 4-valvis, valvis oppositis, medio septiferis, valvis collo coarctato cohaerentibus, seminibus cylindraceis. Floribus oppositifoliis.

Latouria *Endl. gen.* 3048 *a.*
Sectio *Leschenaultiae* secundum Ill. Brown l. c.

1. L. FILIFORMIS. (†)

Flore oppositifolio; corolla extus glabra intus subbarbata; foliis alternis compresso-filiformibus, 10-15 lin. longis, patentibus.

Lesch. filiformis *Br. l. c.*
L. humilis *Spreng.* (Anthosium humile *Br.*)

In Carpentaria.
Vidi spec. Illustr. Auctoris et Ferd. Baueri (hoc quidem in *Mus. Caes. Vind.*).

XXII. ANTHOTIUM.

Calyx superus, 5-partitus; corollae tubus hinc longitudinaliter fissus; limbus bilabiatus, labii superioris laciniis margine interiore auriculatis. Antherae cohaerentes; pollinis granula simplicia. Ovarium biloculare, polyspermum. Stigmatis indusium corollae labiis contrarium. Capsula ignota.

Herbae humiles, pro vario evolutionis stadio diversae, glabrae, acaules (junciformes); folia radicalia sunt teretiuscula, basi parum dilatata. Scapi plures, patuli, indivisi. Flores fasciculatim congesti, bracteis „subtendentibus" foliaceis. Corolla subviolacea, quinque-partibilis, unguium marginibus veris inflexis, solutis. Antherae arcte cohaerentes. Indusium stigmatis imberbe.

Anthotium *Br. prodr.* 582. *Endl. gen.* n°. 3050. *de Cand. prodr*, *VI.* 520.

1. A. HUMILE.

Leschenaultia humilis *Sprengel.*

Variat inter longitudinem 0,1-0,4. Est simplex vel ramosum.

Huc pertinent synonyma sqq.

Good. junciformis *de Vriese in Lehm. pl. Preiss. I.* 413. G. genuflexa *ej. l. c.* G. pygmaea *ej. l. c.*

Vidi specimina plurima, inter quae spec. Ill. Auctoris; ex quibus nunc tuto efficio reliquas formas, quas in hocce genere (olim Goodenia mihi) ante distinxi, esse stadia evolutionis.

Vidi igitur praeter spec. Ill. Brownei, haec etiam: N. Holl. Drumm. 1843 (*Deless.*) Flum. Cygn. n°. 140. 416. S. W. Austr. 1848. n°. 180. 183. 191. Drummond (*Herb. Hook.*); Specimina Preissiana 1522. 1456. 1492.

Tab. XXXVII. Fig. 1. Planta. 2. Flos a latere visus. 3. Lobi corollae. 4. Lobus inferior corollae a latere visus. 5. Stamina. 6. Pistillum cum staminibus. . Stigma longitudine sectum.

XXIII. LEMAIREA.

Flores cymosi, trichotomi, basi bracteati. *Calyx* subglobosus, limbo quinquefido. *Corolla* tubo fisso, limbo laterali, quinquefido, lobis haud alatis. *Stamina* elongata; *filamenta* libera, filiformia. *Antherae* terminales, subclavatae. *Ovarium* biloculare, loculis uni-ovulatis; stylo dilatato; *stigmate* plano, haud vere indusiato. *Semina* plana, externe areolata, quadrata vel cuneiformia, albuminosa; *embryone* centrali.

Herba (vel frutex?) Amboinensis, caule flexuoso, geniculatove; foliis ellipticis, acuminatis, fastigiatis.

1. L. AMBOINENSIS.

Character speciei idem qui generis.

Unum est specimen in Herb. Delessert. Hoc genus a me propositum et dicatum Viro de botanice et scriptis de cultura hortorum valde merito Charles Lemaire, deflectit quidem a Goodenovieaceis defectu praecipui characteris quo Goodenoviae distinguuntur, sed tamen propter plurimorum aliorum characterum praesentiam huc referri posse mihi videtur; sed ob dictas causas ad calcem aliorum generum est ponendum.

Inflorescentia est cymosa; cyma est pedunculata, pedunculo basi crasso, ad latus horizontaliter inflexo, piloso, 0,012 longo, in tres alios pedicellos diviso, ad quorum basis est involucrum commune monophyllum, quadrilobum, forsan ex con-

natis duobus paribus bractearum, lobis triangularibus, acutis, integris, patentibus; pedicellis singulis fere 0,01 longis, sulcatis (ex desiccatione) pilosis. Ad apicem singulus pedicellus est bibracteolatus, bracteolis oppositis, ovatis, acutis, tribus plerumque floribus, aut fructibus instruitur, compressis. Longitudo totius floris parum superat 0,01. Calyx est subglobosus, vel subcompressus, pilosiusculus, fructui arcte adnatus, apice 5-lobus, lobis latis ovatis, acutis, patentibus. Corolla valde elongata, tubo longo, interne et externe glabro, lobis quinque ovato-lanceolatis, obtusis, erectis, quinque-nerviis; staminum filamentis tenuissimis, filiformibus; antheris subclavatis; ovarii pars exterior (calyx adnatus) crassa, coriacea, pilosa; interior vero dura, cornea, lignosa, cavitas bilocularis, intermedia inter loculos massa valde lignosa, dura. Semina ut illa Goodeniarum. Stylus dilatatus, incurvus, planus. Stigma non nisi rudimentum indusii obfert.

Folia oblonga, vel ovali-oblonga, basi et apice attenuata, integerrima, medio nervo percursa, venis sive nervis secundariis arcuatim ad marginem productis, 0,175 longis, 0,05 latis, glabris.

In Herb. Delessert video adscriptum: *Scaevola Ventenatii ex Amboina, herb. Ventenat.*

Tab. XXXVIII. Fig. 1. Ramus. 2. Flos. 3. Stylus. 4. Fructus horizontali ratione sectus. 5. Semina.

INDEX NOMINUM ET SYNONYMORUM.

A.

Aillya umbellata 76
Anthotium 188
» humile . . . . . —

B.

Baudinia humilis 42
Buglossum litoreum 23

C.

Calogyne 179
» pilosa 180
Camphusia 14
» glabra 15
Cerbera ovata 32, 34
» salutaris 20
Crossotoma 36
» Lycioides 38
» oleoides 37

D.

Dampiera adpressa 100
» alata 112
» azurea 103
» bicolor 89
» canescens 114
» cauloptera 111
» coronata 113
» cuneata 102
» Cunninghami . . . 91
» diversifolia 117
» Drummondi . . . 82
» epiphylloidea . . . 112
Dampiera eriophora 104
» erecta . . . . —
» eriocephala 118
» fasciculata 105
» haematotricha . . . 94
» hederacea 79
» incana 95
» inundata 119
» lanceolata 101
» lanuginosa 81
» Lavandulacea . . . 99
» Lindleji . . . 111, 165
» linearis 104
» melanopogon . . . 87
» nervosa 92
» oblongata 106
» omissa 87
» ovalifolia 86
» parvifolia 110
» polygalacea . . . 115
» Preissii 98
» prostrata 82
» purpurea 93
» Reinwardti 97
» repanda 80
» repens 114
» rosmarinifolia . . . 90
» rotundifolia . . . 85
» stricta . . . 105, 109
» subverticillata . . . 108
» teres 96
» trigona 113
» triloba 80
» undulata 84

Dampiera Verreauxii . . . , 118
Diaspasis 177
» filifolia 178
Distylis . . . . —
» Berardiana 179

E.

Euthales filiformis 171
» macrophylla . . . 170
» trinervis 169

G.

Goodenia 121
» acuminata 140
» affinis 137
» albida 55
» albiflora 160
» appendiculata . . . 143
» armeriaefolia . . . 129
» Armstrongiana . . . 138
» barbata 145
» bellidifolia 122
» cistifolia 150
» coronopifolia . . . 149
» cycloptera 155
» decurrens 138
» elongata 148
» filiformis 134
» flagellifera , . . . 146
» flexuosa 126
» geniculata 136
» genuflexa 188
» glandulifera . . . 129
» gracilis 128
» graminifolia . . . 133
» grandiflora 143
» hederacea 147
» heterophylla . . . 144
» hispida 133
» humilis 131
» incana 152
» junciformis 188
» laevigata 55
» lanata 146
Goodenia longifolia 127
» marginata 143
» mollis 151
» nana 132
» ovata 141
» paniculata . . . 125
» pinnatifida 159
» primulacea 158
» pterygosperma . . 153
» pubescens 144
» pinifolia 157
» purpurascens . . . 153
» pusilla 131
» pygmaea 188
» quadrilocularis . . 165
» radicans 163
» ramosissima . . . 62
» repens 163
» rigida 156
» rotundifolia . . . 145
» spathulata 123
» squarrosa 154
» stelligera 124
» stolonifera 135
» tenella 150
» teretifolia 130
» varia 142
» xanthotricha . . . 155

L.

Latouria 107
» filiformis 187
» humilis . . . . . —
Lemairea 189
» Amboinensis . . . —
Leschenaultia 181
» arcuata 186
» biloba 182
» Drummondi . . . —
» expansa 184
» floribunda 186
» formosa 185
» glauca 184
» grandiflora 181

Leschenaultia laricina . . . 185
» pallescens . . . —
» parviflora . . . —
» pinastroides . . 183
» splendens . . . 186
» tubiflora . . . 183
Linschotenia 119
» discolor 120
Lobelia Plumerii 23
» Taccada . . . . . . —
Lysipomia serpens 165

M.

Merkusia aemula 74
» angustaefolia . . . 65
» angulata 69
» attenuata 67
» caespitosa 63
» crassifolia 46
» cuneiformis 54
» depauperata 74
» depressa 70
» fastigiata 48
» glandulifera . . . 67
» globulifera 52
» hispida 62
» Hookeri 56
» humifusa 70
» humilis 59
» linearis 67
» longifolia 69
» lyratifolia 60
» macrostachya . . . 51
» microcarpa 55
» molluginea 71
» multiflora . . . 48, 49
» myrtifolia 72
» nitida 73
» ovalifolia 50
» pallida . . . . . —
» paludosa 68
» revoluta 64
» sinuata 58
» suaveolens 62
Merkusia thesioides 53
Molkenboeria 38
» macrophylla . . . 44
» membranacea . . . 40
» microphylla . . . 44
» pilosa 38
» platyphylla 43
» semi-amplexicaulis . 41
» striata 42

P.

Picrophyta albiflora 161
» calcarata . . . . —

S.

Scaevoleae 7
Scaevola anchusaefolia . . . 65
» angulata 69
» attenuata 61
» Bela-Modagam . . . 23
» Benthamea 41
» Benthameana . . . 42
» caespitosa 63
» calliptera 42
» Candollei 43
» canescens 66
» chammissoniana . . 8
» chlorantha 27
» ciliata 9
» crassifolia 47
» cumana 35
» cuneiformis 54
» depauperata . . . 74
» depressa 71
» fasciculata 154
» fastigiata 48
» Gaudichaudiana . . 9
» geniculata 137
» glabra 15
» glandulifera . . . 67
» glaucescens . . . 63
» globulifera 52
» grandiflora 42
» hispida 62

Scaevola holosericea 66
» humifusa 70
» humilis 59
» Koenigii 20
» Lambertiana . . . 28
» lanceolata 66
» Leschenaultiana . . 20
» ligustrifolia . . . 14
» linearis 68
» Lobelia . . 17, 20, 34
» longifolia 70
» lyratifolia 60
» Macraei 31
» macrocalyx 26
» macrodonta 42
» macropoda . . . . —
» membranacea . . . 40
» micrantha 11
» microcarpa 55
» mollis 13
» montana 30
» multiflora 49
» nitida 73
» ovalifolia 50
» pallida 56
» paludosa 68
» pilosa 39
» platyphylla . . . 43
» Plumerioides . . 14, 16
» Plumieri . . . 23
» pterosperma . . . 152
» pubescens 14
» pusilla 131
» revoluta 64
» semi-amplexicaulis . 41
» Senegalensis . . . 32
» sericea 29
» Sieberi 33
» sinuata 58
Scaevola sphaerocarpa . . . 66
» striata 63
» stricta . . . 42, 167
» suaveolens 63
» tenera 130
» Thesioides 53
» Thunbergii 34
» uvifera 35
» velutina 29
» viscida 168
Selliera herpystica 164
» radicans 163
» repens 162
Stekhovia scapigera 167

T.

Temminckia 7
» Chamissoniana . . . 8
» ciliata 9
» Gaudichaudi . . . 4
» macrophylla . . . 12
» Menziesiana . . 10
» micrantha 11
» mollis 12
» tomentosa 13
Tetraphylax quadrilocularis . 165

V.

Velleia arguta 173
» dichotoma 174
» lanceolata 175
» lyrata 173
» macrocalyx 176
» montana . . . . . —
» paradoxa 172
» perfoliata 175
» pubescens . . . . . —
» spathulata 174

Temminckia macrophylla. de Vriese.

A. J. Wendel del.

MUSEUM

Temminckia mollis. de. Vriese. 1–2.
Camphusia glabra. de Vriese. 3–8.

Q.M.K. Ver Huell. ad. Sicc. delt.

[illegible]



Scaevola macrocalyx. de Vriese. 1_4.

Scaevola 5_16.

NATURAL HISTORY

Scaevola Macraei. de Vriese.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc del.

NA[illegible] [illegible]ORY.

2

Molkenboeria semi-amplexicaulis. de Vriese.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc delt

NATURAL HISTORY

Molkenboeria platyphylla. de Vriese.

Q.M.R. Ver Huell. ad. Sicc. del.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY



Molkenboeria pilosa. de Vriese.

Q. M. R. Ver. Huell ad Sicc del.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Molkenboeria macrophÿlla. de Vriese.

Q.M.R. Ver Huell ad Sicc delt

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

Molkenboeria microphylla. de Vriese.

Q. M. R. Ver. Huell. ad Sicc. del[t]

NATURAL HISTORY

Merkusia multiflora. de Vriese.

Q. M. R. Ver. Huell. ad. Sicc. delt.

[illegible] NATU[illegible] [illegible]

Merkusia thesioides. de Vriese

Q. M. R. Ver Huell ad. Sicc. del.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY



Merkusia Hookeri. de Vriese

Q M R Ver Huell ad Sicc delt

[illegible]

Aillya umbellata. de Vriese.

Q.M.R. Ver Huell ad. Sico delt.

[illegible]

Dampiera ferruginea. Br.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc del[t]



Dampiera ferruginea. Br.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc delt

NATURAL HISTO

15.

Dampiera Reinwardti. de Vriese.

Q. M. R. Ver Huell ad. Sicc. del^t.

NA[illegible]AL HISTORY

Dampiera adpressa. All. Cunningh.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc del^t



Dampiera lanceolata. All. Cunningh.

NATU... HISTORY

Dampiera cauloptera. de Cand.

Q M R Ver Huell ad Sicc del^t

Dampiera canescens. Benth.

Q.M.R. Ver Huell. ad. Sicc. del^t

HISTO

Dampiera Verreauxii. de Vriese.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc. delt.

NATURAL HISTORY

Dampiera erioeephala. de Vriese.

Q.M.K. Ver Huell ad. Sico. del^{t}.

Linschotenia discolor. de Vriese.

Q M R Ver Huell ad Sicc del

NATURAL HISTORY

Goodenia humilis. Br.

[illegible] MUSEUM

Goodenia Armstrongiana. de Vriese.

Goodenia flagellifera. de Vriese.

Q. M. R. Ver Huell ad. Sicc. delt

BRITISH MUSEUM

Goodenia lanata. Br.

Q M R Ver Huell ad Sicc del[t]

NATURAL HISTORY



Goodenia hederacea. Br.

Goodenia incana. Br.

Q. M. R. Ver Huell ad Sicc. delt

NA[illegible] [illegible]ISTORY.

Goodenia squarrosa. de Vriese.

Q.M.R. Ver Huell ad. Sicc. del[t]

NATURAL HISTORY

Goodenia pinifolia. de Vriese.

Q.M: R. Ver. uell. ad. Sicc del!



Goodenia decurrens. Br.

Q.M.R. Ver Huell ad. Sicc. del.

NATURAL HISTORY

32.

Stekhovia scapigera. de Vriese.

Q.M.R. Ver Huell ad Sicc del.

[illegible] NATUR[illegible] [illegible]

Euthale macrophylla. de Vriese.

Q. M. R. Ve[illegible] ad. Spec. [illegible]

NATURAL HISTORY

Velleya macrocalyx. de Vriese

Q.M.R. Ver Huell ad Sicc del[t]

Leschenaultia. biloba. Lindl.

Q. M. R. Ver Huell. ad. Sicc. del[t]

[illegible]

Leschenaultia pinastroides. Lehm. 1 _ 6. L. arcuata de Vriese. 6 a. _ 11.

Q M R Ver Huell ad. Sicc del[t].

NATURAL HI YORK

Anthotium humile. Br.

O. M. R. Ver. Huell ad Sicc. delt.

HISTORY

Lemairea Amboinensis. de Vriese.

Q M R. Ver Huell ad Sicc delt



PRODROMUS

FLORAE BRYOLOGICAE SURINAMENSIS.

PRODROMUS

FLORAE BRYOLOGICAE SURINAMENSIS.

AUCTORIBUS

F. DOZY ET J. H. MOLKENBOER,

MED. ET PHIL. NAT. DOCTT.

ACCEDIT:

PUGILLUS

SPECIERUM NOVARUM FLORAE BRYOLOGICAE VENEZUELANAE.

EDIDERUNT DE ERVEN LOOSJES.
HARLEMI 1854.

IN COMMISSIONE APUD
ARNZ & C°, DUSSELDORPII.

Vera biologia nititur perfecta anatomica cognitione organorum, quorum opere vita peragitur. Hoc respectu plantae conveniunt cum animalibus. Nisi organismi plantarum perfectam notionem acquisiverimus, earum vitae phaenomena nobis manebunt enigmata, modo anatomia microscopica, optima duce, solvenda. Eo dirigant vires suas Botanici, ut anatomico examini, solito subtiliori, plantas quorumcunque ordinum subjiciant, ut demum perveniant ad plenum intellectum organismi vegetabilis viventis. Sicuti in regno anorganico frustra corporum compositorum naturam intelligere conabimur, priusquam eorum elementa simplicia bene cognoverimus, ita quoque in plantis optime initium faciendum est a simplicioribus, ut dein eo facilius plantarum magis evolutarum et compositarum oeconomia erui possit. Hanc viam, inprimis in nostro aevo, felici cum successu ingressi sunt plerique Botanici, quum studio plantarum cryptogamicarum, a Linneanis diu neglecto, omnem operam navarunt. At vero praeter cryptogamas europaeas, paucissimae ex aliis orbis terrarum regionibus nos docuerunt, quia peregrinatores botanici, unice fere in studium plantarum phanerogamicarum intenti, neglexerant vel obiter tantum cryptogamas exoticas colligere solebant. Quamquam laudabiles adsunt exceptiones, tamen quidquid Muscorum frondosorum, Hepaticorum, Lichenum, Fungorum et Algarum in regionibus extra-europeanis collectum sit, id ne millesimam forsitan partem efficit cryptogamorum, quae istae regiones proferunt. Non opus est, ut moneamus de necessitate, fines investigationis proferendi; quo latior enim campus, eo fructuosior messis. Immensae regiones exstant, quarum floram cryptogamicam fere prorsus ignoramus. Inter istas

terras, hoc respectu incognitas, usque ante aliquot annos pertinebat Archipelagus Indiae orientalis et hodie adhuc Guiana Batava. Conati sumus hiatum implere, quod attinet muscos frondosos prioris regionis. Nunc vero muscos Surinamenses novis additamentis illustrare solliciti fuimus, quorum maximam partem ex herbario Splitgerberiano, tamquam e fonte uberrimo Florae Guianensis hausimus.

Inter muscos Surinamenses hujus in Academia Lugduno-Batava asservati herbarii nonnullae species desiderabantur, quae ab aliis peregrinatoribus in hac possessione Neerlandica repertae sunt quasque doctissimus C. Müller, tum in *Linnaea* 1848, p. 181 (sub titulo Plantae Kegelianae Surinamenses), tum in Synopsi sua Muscorum frondosorum deinceps descripsit. Has, licet a nobis non visas, in enumeratione nostra suscepimus, at asterisco indicavimus. Praeterea herbarium Clarissimi F. A. W. Miquel, nobis liberaliter communicatum, supplementa egregia suppeditavit.

Prodromo nostro Florae Bryologicae Surinamensis addimus pugillum specierum novarum florae bryologicae Venezuelanae, sive descriptiones et delineationes quorumdam Muscorum novorum, quos eruimus e collectione a viro doctissimo P. W. Korthals in Venezuela composita et ex altera, quam benevole nobis misit vir nobilissimus R. van Lansbergen.

Ambae regiones, Guiana batava et Venezuela, nobis largitae sunt praestantissima scientiae augmenta. Inter haec duo prae caeteris nobis insignia videntur. Prior enim regio nobis obtulit alteram speciem generis *Arthrocormi*, olim a nobis in Muscis frondosis Archipelagi Indici constituti et cognomine summi Bryologi Schimperi insigniti; posterior alteram speciem generis *Campylostelii*, cujus unica tantummodo species eaque europeana, *C. saxicola* dicta, cognita erat.

DREPANOPHYLLUM Rich.

1. DREPANOPHYLLUM FULVUM Rich. in Hook. Musc. exot. II. tab. 145; Schwägr. Suppl. II. p. 85. t. 125; — Brid. Bryol. univ. II. p. 668–670. *Dicranum falcifolium* Hook. Musc. exot. I. tab. 82. *Fissidens falcifolius* Schwägr. Suppl. I. 2. p. 9.

Habitat: in Surinamo, Weigelt; inter alios muscos Surinamenses in herb. D. et MB.

CONOMITRIUM Mtge.

*2. CONOMITRIUM PELLUCIDUM Müll. Syn. Musc. II. p. 525. *Fissidens pellucidus* Hnsch. in Linnaea 1841. p. 146. Müll. Synops. Musc. I. p. 47.

Habitat: in Surinamo, Weigelt?

FISSIDENS Hedw.

*3. FISSIDENS KEGELIANUS Müll. Linn. 1848. p. 181. Synops. Musc. I. p. 49. II. p. 530.

Habitat: in Surinamo, prope Paramaribo, in locis humidis umbrosis, Kegel n°. 1226.

β. foliis longioribus magis cuspidatis; folii lamina vera stricta, ultra medium producta, aequalis, acutissima, tenuis, marginata; setae saepe geminatae. Müll. Syn. l. l. p. 49.

Habitat: una cum specie.

4. FISSIDENS SPLITGERBERIANUS D. et Mb. Plantae exiles, in caespitulos haud cohaerentes congestae, habitûs *Fissidentis exilis.* Caulis simplex, rarius uno alterove ramulo divisus, decumbens, oblique adscendens vel suberectus, basi dense radiculoso-tomentosus, crassiusculus.

Folia latiuscula, 6–10 juga, patentia, subhomomalla, opposita saepiusque subalterna, inferiora remotiuscula, superiora sensim longiora et angustiora magis approximata, semiamplexicaulia; *lamina folii* supra medium vel ad $\frac{2}{3}$ evanescens, ventricoso-concava, late et crassiuscule flavo-marginata, aequalis vel saltem vix inaequalis, e cellulis hexagono-subrotundis laxis pellucidis et magnis versus apicem parumper decrescentibus areolata, integerrima; *lamina dorsalis* ad costae basin enata, angusta, superiora versus parum dilatata ibidemque cum lamina apicali lanceolata, costa crassa flavo-viridescente parum flexuosa et subexcurrente brevissime cuspidata, immarginata, cellulis marginalibus seriatis sub magno augmento et praesertim versus apicem laminae prominulis tenuissime crenulata, e cellulis laminâ folii duplo minoribus et densioribus subaequaliter et pellucide areolata; *lamina apicalis* inferne e margine incrassato integerrimo laminae foliaris protracto marginata, superne vero tantummodo cellularum subquadratarum serie obliqua subcrenulata, quoad areolationem laminae dorsali simillima.

Florescentia dioica. Planta mascula femineâ humilior; folia multo minora, lamina folii ad tertiam circiter partem jam evanescente, lamina apicali multo latiore, ceterum foliis plantae femineae simillima. Antheridia paraphysibus destituta, minima, pauca, intra foliorum supremorum laminam ventricosam recondita. Archegonia in lamina ventricosa jugi ultimi foliorum inclusa, pauca, gracilia, eparaphysata.

Fructus terminalis, solitarius, rarius geminus, alte pedicellatus. Pedicellus caule duplo terve longior, 0,003–0,004 altus, e basi geniculata oblique erectus, parum flexuosus, siccitate tortilis, tenuis, subcapillaris, apice in capsulam dilatatus, laevis, rubro-purpureus. Capsula aequalis, erecta vel parum inclinata, parva, ovato- vel ovali-urceolata, siccando infra orificium magis minusve constricta, annulo destituta, pallide fusca. Operculum e basi convexo-conica subulato-rostratum, capsulam longitu-

dine aequans paullove superaus. Calyptra conico-mitraeformis, laevis. Peristomium simplex e dentibus sedecim aequidistantibus, erectis, exsiccando infractis, linearibus, excepta basi solida bipartitis, dense trabeculatis, superne granuloso-asperis.

Habitat: in Surinamo, ubi in terra argillosa collegit SPLITGERBER (herb. Acad. L. Bat.) — Sine loco speciali in Herb. Acad. of nat. sc. at Philadelphia, n°. 6.

Tab. I. fig. 1. plantae nat. magnit.; 2. planta mascula, 3. planta feminea, *vicies auctae;* 4. planta feminea simplex, tricies aucta; 5, 6. folia caulina a latere, 7. folium supremum plantae masculae, *quinquagies aucta;* 8. sectio transversalis foliorum septuagies et quinquies aucta; 9. basis, 10. apex folii, 11. pars media laminae dorsalis cum basi laminae apicalis et apice laminae foliaris, *ducenties et quinquagies auctae;* 12. antheridia centies et quinquagies aucta; 13. capsula sicca effoeta, 14. capsula sicca cum peristomio, 15. calyptra, 16. operculum, *septuagies aucta;* 17. peristomium humidum, centies et quinquagies auctum; 18. ejusdem pars ducenties et quinquagies aucta.

OBSERVATIO. Species *Fissidenti Kegeliano* MÜLL. proxima, ab eodem diversa: lamina folii supra medium et fere ad ⅔ evanescente, lamina dorsali haud marginata, laminis dorsali et apicali tenuissime crenulatis. — Ab affini *Fissidente cuspidato* ejusdem auctoris satis jam discrepat foliis costa subexcurrente brevissime cuspidatis. Magis convenit cum varietate β *Fissidentis Kegeliani,* cui vero ex descriptione lamina folii dorsalis tenuissime marginata est. Quum autem specimina authentica hujusce varietatis comparare non possumus, illam non sine dubio ad speciem supra descriptam referre possumus.

*5. FISSIDENS INTERMEDIUS MÜLL. Linnaea 1848. p. 181. Syn. Musc. I. p. 56. II. p. 530.

Habitat: in Surinamo, prope Paramaribo, in locis umbrosis humidis, KEGEL n°. 501.

LEUCOBRYUM Hmpe.

6. LEUCOBRYUM MARTIANUM Hmpe. Linn. XIII. p. 42. Müll. Linn. XVIII. p. 689. Syn. Musc. I. p. 76; *Dicranum Martianum* Hnsch. fl. bras. p. 11.

Habitat: in Surinamo, frequens, plerumque vero sterile; in truncis vetustis, semiputridis sylvarum, inter flumen *Surinam* et rivulam *Para*, late et compacte caespitosum; in sylvis prope *Joden-Savanna*, Kegel n°. 743; — sine loco speciali, *herb.* Miquel, *herb.* D. *et* Mb.; specimina fructifera legit Weigelt.

ARTHROCORMUS D. et Mb.

7. ARTHROCORMUS PULVINATUS D. et Mb. Planta perennis, pulvinato-caespitosa, albido-glaucescens, fragilis, epidendra, uberrime fructigera, e Leucophanearum ordine, *Octoblepharum* simulans. Caules adscendentes, tenues, fusci, dense foliosi, inferne foliis vetustis ut plurimum destructis omnino obtecti, valde radiculosi, cum vicinis caulibus in caespitem densum et compactum congesti, simplices vel innovando ramosi, articulato-flexuosi, ramis iterum innovantibus fastigiati.

Folia subtrifariam dense imbricata, subsecunda, e basi erecta brevi oblonga amplexicauli vaginante inaequilatera tenerrima hyalina subito contracta, erecto-patula, linearia, elongata, leniter flexuoso-curvata, apice obtuso mucronulata ibidemque saepius radiculoso-prolifera, crassiuscula, opaca, antice planiuscula, dorso convexa, integerrima, fragilissima, costa destituta, nitoris fere expertia; areolatione in toto limbo et media baseos vaginantis parte compacta, neque uti in baseos alis ex unico strato conflata, e cellulis subquadrato-hexagonis parvis; areolatione marginali e cellulis uniserialibus, pellucidis, linearibus; areolatione ad utramque baseos alam cellulis minutissimis denseque confertis late limbatam laxiori, e cellulis majoribus quadratis limpidissimis.

Florescentia dioica. Planta mascula nobis dëest. Flores feminei in gemma terminali, oblonga, subtrigona, hexaphylla: folia e basi lata pellucida cuspidato acuminata, obtusiuscula, convoluta; acumine post germinis foecundationem ulterius evoluto, in perichaetio limbum linearem efformante foliis caulinis simillimum at duplo fere breviorem. Archegonia pauca, gracilia, paraphysibus filiformibus parcis breviora.

Fructus terminalis vel innovando pseudo-lateralis, solitarius. Pedicellus e vaginula angusta elongata erectus, capillaris, rectus vel parum curvatus, praesertim exsiccando flexuoso-tortilis, 0,01–0,015 altus, laevis rubro-fuscus. Capsula erecta, cylindrica vel ovali-cylindrica, basi subinaequali in pedicellum attenuata, exsiccando plicata, superne constricta, e luteo rufescens, nitoris fere expers, annulo destituta. Operculum e basi conica longe rostratum, lutescens, dimidia capsula longius, rostro aciculari obliquo. Calyptra cuculliformis, capsulae dimidiam partem tegens, una cum operculo decidua, laevis. Peristomium simplex e dentibus sedecim luteis, subpellucidis, teneris, per paria approximatis, erectis, apice recurvis, exsiccando in conum subobliquum conniventibus, ratione longitudinis capsulae brevibus, lineari-acuminatis, linea mediana longitudinali destitutis, obsolete trabeculatis. Sporae globosae, minimae.

Habitat: ad truncos arborum Surinamensium frequens, Splitgerber in hb. Acad. Lugd.-Bat. n°. 1214.

Tab. II. fig. 1. Caespitulus, 2. 3. plantae, *natur. magnit.*; 4. planta junior simplicissima, decies aucta; 5. sectio folii transversa, tricies aucta; 6. planta foliis orbata cum perichaetio et innovatione; 7. folium caulinum, *decies auctum*; 8. basis, 9. apex folii caulini, *centies aucti*; 10. gemma foliacea, 11. flos femineus, *quadragies aucta*; 12. archegonium cum paraphysi octagies auctum; 13. planta foliis orbata, cum gemma foliacea, vaginula et archegoniis, 14. capsula operculata, 15. capsula cum peristomio, 16. eadem exsiccata, 17. calyptra, *tricies auctae*; 18. peristomii pars ducenties aucta; 19. sporae trecenties auctae.

Observatio. Nomine *Octoblephari cylindrici* in herbario Splitgerberiano Academiae Lugduno-Batavae hanc plantam invenimus

plurimis notis *Arthrocormo Schimperi* ita consimilem, ut nequaquam dubitemus ipsam alteram speciem hujus generis insignis declarare. Differentiam genericam scilicet adeo levem observavimus, ut nulla diagnoseos mutatione opus esse nobis videatur. Differt enim nova species solummodo crescendi modo magis compacte caespitoso et peristomii dentibus linearibus longioribus.

OCTOBLEPHARUM Hedw.

8. OCTOBLEPHARUM ALBIDUM Hedw. Musc. frond. III. p. 15. t. 6. Brid. Bryol. univ. I. p. 137. Müll. Linn. 1848. p. 185. Syn. Musc. I. p. 86. *Bryum albidum* L. Sp. pl. p. 1583. *Bryum Octoblepharis* Gmel. Syst. nat. II. p. 1331. *Bryum nanum lariginis foliis albis* Dill. Musc. p. 364. tab. 46. fig. 21.

Habitat: in Surinamo, hb. D. et MB; Focke in hb. Acad. Lugd. Bat. n°. 12.; Focke in herb. Miquel, sub n°. 1121; — prope Paramaribo vulgare in arborum dispersorum truncis et in sylvis, Kegel n°. 504.

9. OCTOBLEPHARUM CYLINDRICUM Schimp. in hb. Hampeano, Müll. Linn. 1848. p. 185. Syn. Musc. I. p. 87.

Habitat: in societate praecedentis prope Paramaribo, Kegel n°. 504. Tourtonne, Focke in hb. Miquel n°. 1389 ex parte.

BRYUM. Dill. emend.

*10. BRYUM CRUGERI Hmpe. Müll. Linn. 1848. p. 185. Syn. Musc. I. p. 300.

Habitat: loco aprico inter Paramaribo et plantationem *Quarta,* in solo limoso conchyliis intermixto, Kegel n°. 503.

DICRANUM Hedw.

*11. DICRANUM SURINAMENSE Müll. Syn. Musc. I. p. 386. *Campylopus Surinamensis* Müll. Linnaea 1848. p. 186.
Habitat: caespitose in Surinamo, prope Paramaribo inter fruticeta, at terram arenariam humidam, Kegel n°. 516.

12. DICRANUM SAVANNARUM Müll. Syn. Musc. II. p. 596.
Habitat: in Surinami savannis arenosis planitiei prope Mariepaston ad flumen Saramaccam superiorem, inter fruticeta, Kegel. Surinamo Lenormand in hb. Dz. et Mb.

CALYMPERES Sw.

13. CALYMPERES AFZELII Sw. Jahrb. d. Gewächsk. v. *Spreng. Schrad.* u. *Link.* 1818. p. 3. tab. 1. ex parte. Brid. Bryol. univ. II. p. 86. *Calymperes Palisoti* Schw. Suppl. I. 1. p. 334 ex parte; *Dicranum ustulatum* Brid. Bryol. univ. I. p. 458; ? *Calymperes erosum* Müll. Linnaea 1848. p. 182. Syn. Musc. I. p. 523.
Habitat: in Surinamo ad arborum truncos, hb. D. et Mb.

14. CALYMPERES RICHARDI Müll. Syn. Musc. I. p. 524. II. p. 620. *Calymperes Palisoti* Schw. Suppl. I. 1. pag. 334 ex parte. Müll. Linnaea 1848. p. 183.

Plantae humiles, gregariae vel laxe caespitosae, corticolae, simplices, subinde ramulo uno alterove brevi divisae, rigidiusculae, viridissimae, exsiccando olivaceo-virides. Caulis erectus vel adscendenti-erectus, inferne radiculis et foliis emarcidis vestitus, foliis superiora versus sensim densius approximatis subrosaceo-comosus, ex apice vel infra perichaetium innovans.

Folia undique inserta, basi caulem amplectente erecta, supra basin

dilatata et subito recurvo-patentia, siccando falcato-intorta rigida, ligulato-oblonga, obtusissima, sub magno autem augmento brevissime apiculata, subundulata, concava, exsiccando marginibus intortis, praeter basin vaginantem cellulis prominulis crenulato-serrulatam integerrima, inferne late, superiora versus sensim angustius, apice obsolete flavide limbata, costata, costa valida calli instar limbum folii percurrente et ante apicem evanida vel saepius summo apice incrassata et dilatata ibidemque filis articulatis clavaeformibus limpidis copiosissimis pulvinato-congestis obtecta, at numquam excedente, tenuissime papillosa, opaca, minute areolata, areolis hexagono-rotundatis confertissimis, in folii parte angustata vaginali limpidissimis, epapillosis, laxissimis, quadratis, a costa versus marginem sensim angustioribus.

Florescentia dioica. Flos masculus.... Flores feminei intra folia comalia summa reconditi. Archegonia paraphysibus aequalia parumve breviora.

Fructus solitarius, terminalis, breviter pedicellatus. Pedicellis e vaginula angustissima cylindracea erectus, incurvus, vix supra folia perichaetii emersus. Capsula erecta, aequalis, ovalis vel ovali-cylindrica, infra orificium parum angustata, annulo destituta, gymnostoma. Operculum e basi conica subulato-rostratum, rectum, dimidia capsula brevius. Calyptra e flavido-albescens, totam capsulam obtegens et includens, basi angustissimâ in pedicellum defluente integra, medio latere fissa, persistens, summo apice scaberula, plicata, plicis praecipue exsiccando oblique vel subspiraliter decurrentibus.

Habitat: per totam Guianam gallicam, anglicam et batavicam, Richard, Schomburgk, Kegel n°. 744., hb. Miquel; ad arbores Surinamenses inter Frullanias legit Splitgerber hb. Acad. Lugd. Bat. n°. 34.

Tab. III. fig. 1. plantae natur. magnit.; 2. planta, 3. planta sicca, *decies auctae*; 4. folium ab anteriore, 5. folium a latere, 6 folium cum costa apice dilatato-incrassata ab anteriore, *vicies aucta*; 7. basis, 8. apex folii, *centies et quinquagies aucti;* 9. apex folii cum pulvinulo filorum, quinquagies auctus; 10. fila ista articulata nonnulla, 11. ar-

chegonium cum paraphysibus, *centies et quinquagies aucta*; 12. capsula operculata, 13. vaginula cum pedicello et capsula calyptrata, 14. calyptra, *vicies auctae.*

*15. CALYMPERES EROSUM Müll. Linnaea 1848. p. 182. Synops. Musc. I. p. 524.

Habitat: Sterile inter Cladonias, ad arborum truncos prope Paramaribo, legit Kegel n°. 539. Inter Hypna Surinamensia specimina fructificantia invenit Müllerus in herbario viri clariss. Miquel.

*16. CALYMPERES DISCIFORME Müll. Linn. 1848. p. 183. Synops. Musc. I. p. 525.

Habitat: in ramis tenuibus locis valde humidis et obscuris, in societate Stanhopeae eburneae (?) et Taenitidis furcatae, prope Paramaribo, Kegel n°. 505.

17. CALYMPERES LONCHOPHYLLUM Schw. Suppl. I. 2. p. 333. tab. 98. Brid. Bryol. univ. II. p. 88. excl. syn. *C. Palisoti.*

Habitat: in arboribus Guianae, ubi detexit Richard; in arborum Surinamensium truncis frequens, hb. D. et Mb.

SYRRHOPODON Schw.

*18. SYRRHOPODON MIQUELIANUS Müll. Syn. Musc. I. p. 535.

Habitat: in Surinamo, Miquel in hb. Müller.

*19. SYRRHOPODON LONGISETACEUS Müll. Syn. Musc. I. p. 535. ? *Calymperes androgynum* Mtge Ann. d. sc. nat. III. p. 195; — *Calymperes rigidum* Mtge in sched.

Habitat: in Surinamo, Kegel; Müll. in herb. Miquel?

Non patet ex Synopsi Muscorum Mülleri, quorsum auctor ille jam refert specimina manca Kegeliana et specimina frequentia Miqueliana,

quorum in Linnaea 1848. p. 183, sub titulo *Calymperes androgyni* Mtge, prius mentionem fecit. Suspicamur, specimina illa ad *Syrrh. Miquelianum* pertinere; at secundum synonymiam hic sub *S. longisetaceo* citanda sunt.

20. SYRRHOPODON SURINAMENSIS Dz. et Mb. Planta viridis, cespite laxe cohaerente cortici arborum vetusto adnata, 0,015–0,03 alta, adscendenti-erecta, flexuosa, siccando rigidiuscula et fragilis, simplex vel innovando subdichotome ramosa, ramis fastigiatis, inferne tomento radiculoso et foliis emarcidis obtecta.

Folia crassiuscula, difficilius emollientia, e basi complicata semivaginante erectâ tenerâ membranaceo-pellucidâ undulatâ recurva, parumper flexuosa, magis minusve homomalla, exsiccando rigida flexuose incurvata, carinato-concava, versus apicem planiuscula, elongate lineari-spathulata, acuta, costata, costa valida laevi infra apicem desinente, inferne integerrima, supra partem amplexicaulem denticulata, dein superiora versus excepto apice summo juxta marginem incrassatum serrata; areolatione in parte basilari laxa, e cellulis magnis rectangularibus hyalinis versus marginem folii angustioribus densioribusque composita, ad vaginae partem superiorem e cellulis multo minoribus subquadratis seriatis chlorophyllosis, in reliqua limbi parte e cellulis minutissimis quadrato-subrotundis opacis papillosis conflata.

Florescentia dioica. Planta mascula femineae simillima: gemmae floriferae laterales, in parte foliorum superiorum vaginante insertae, solitariae, ovatae, subclausae, polyphyllae; folia perigonii late ovata, breviter acuminata, convoluto-concava, costa obsoleta vel nulla, integerrima, intimo minore ovato-subrotundo apiculato, caulinis teneriora, hyalina, margine haud incrassata. Antheridia elongata, cylindrica, paraphysibus filiformibus multiseptatis longitudine subaequalia. Gemmae floriferae femineae terminales, saepe plures in eadem planta; folia perichaetii exteriora foliis caulinis supremis similia; interiora erecta, lineari-setacea, inferne valde dilatata convoluto-vaginantia hyalina, costata, costa summo apice papilloso prolifera partem superiorem lineari-setaceam limbi pror-

sus efficiente. Archegonia pauca, gracilia, paraphyses filiformes tenuissimas longitudine aequantia.

Fructus solitarii, terminales, alte pedicellati. Pedicellus e vaginula cylindrica elongata angusta erectus, 0,01 et ultra altus, flexuosus, siccando flexuoso-tortilis, laevis, capillaris, sub capsula dilatatus. Capsula erecta, sicca pedicelli torsione nonnumquam inclinata infra orificium constricta, elliptica, annulo destituta, gymnostoma. Operculum e basi convexiuscula subulato-rostratum, rostro aciculari, longitudine capsulam aequans vel superans, obliquum, siccando curvatum. Calyptra cuculliformis, totam capsulam includens, ad ejusdem maturitatem fere usque persistens, una cum operculo decidua, laevis. Peristomii deficientis loco membrana annularis angusta horizontalis. Sporae globosae.

Specimina ad corticem vetustam arborum Surinamensium lecta doct. VAN BEEK VOLLENHOVEN cum herb. clariss. MIQUEL communicavit.

Tab. VI. fig. 1. plantae natur. magnit.; 2. planta octies aucta; 3. folium caulinum, 4. idem a latere, *decies et quinquies aucta;* 5. basis, 6. apex, 7. sectio supra partem limbi vaginantem, *ducenties auctae;* 8. folium perichaetii, 9. interius, *decies et quinquies aucta;* 10. summus apex foliorum perichaetii centies auctus; 11. vaginula tricies aucta; 12. archegonium cum paraphysi centies auctum; 13. calyptra, 14. calyptra junior, 15. operculum, 16. capsula, 17. eadem sicca, *vicies auctae;* 18. sporae ducenties auctae; 19. flos masculus, 20 folium archegonii interius, 21. exterius, *tricies aucta;* 22. antheridia cum paraphysibus, 23. orificium capsulae cum membrana horizontali annulari, *quinquagies aucta.*

OBSERVATIO. Species *Syrrhopodonti longisetaceo* MÜLL. valdopere affinis videtur, ita quidem ut, si specimina vel iconem nobis comparare licuerit, forsitan ambas conjunxerimus. Jam autem melius duximus novam proponere speciem, idque eo magis, quum species allata, ex descriptione saltem, differt: capsula *magna*, foliis margine limbo *lamellato* utrinque remote dentatis, etc.

21. SYRRHOPODON CRYPTOCARPOS Dz. et Mb. Planta humilis, pollicem fere alta, sordide olivaceo-viridis, late caespitosa, arborum cortici adnata, adscendenti-erecta, flexuose curvata praesertim exsiccando, frequenter innovans, innovationibus subfastigiatis, supremis in comae speciem congestis.

Folia crassiuscula, erecto-patentia, stricta, subhomomalla, summa densius congesta recurva, exsiccando rigida fragilia incurvata, praecedente specie facilius emollientia, inferne erecta caulem semiamplectentia tenera et limpidissima, superne parum dilatata, late linearia, obtusa, apiculata, concava, nonnumquam parumper undulata, costata, costa valida dorso scabra et apice incrassata sub apiculo desinente, inferne simpliciter serrulata, supra partem amplexicaulem juxta marginem incrassatum duplicato-serrata, summo apice haud incrassato tenuiter et argute denticulata; areolatione in parte basilari laxissima e cellulis magnis limpidissimis rectangularibus versus marginem multo angustioribus magisque condensatis, superiora versus minutissimis, subquadratis, subpapillosis, chlorophyllosis, subopacis, marginalibus limpidioribus.

Florescentia dioica. Planta mascula femineâ brevior apiceque magis congeste ramulosa. Gemmae floriferae terminales, solitariae vel 2–3 aggregatae, innovando subinde pseudo-laterales, foliis comalibus duplo breviores, ovatae, polyphyllae: folia exteriora perigonii minora, ovato-subrotunda; superiora majora, convoluta, e basi lata pellucida acuminata, acumine recurva; interiora minora, limpidissima, latiora, brevius acuminata, convoluto-concava; omnia caulinis teneriora, margine haud incrassata, obsolete denticulata. Antheridia elongata, cylindrica, paraphysibus numerosis filiformibus multiseptatis paullo breviora. — Flores feminei terminales, solitarii, saepe plures in eodem caule: folia perichaetii intimo minimo excepto costata, exteriora caulinis superioribus similia erecta, interiora convoluto-vaginantia, intima limpidiora e parte basilari magis elongatâ et latiore subito anguste et acute acuminata plicata. Archegonia pauca, gracilia, paraphysibus filiformibus longiora.

Fructus solitarii, terminales, plerumque plures in eadem planta, intra folia comantia ramulorum immersi, sessiles vel, si mavis, brevissime

pedicellati, pedicello vaginula laxa cylindrica prorsus incluso. Capsula pachyderma, brunnea, laevis, ovata, annulo destituta; columella persistens. Operculum e basi convexa rostellatum; rostello brevi, oblique incurvo, obtusiusculo. Calyptra, ut videtur, fugax, in fructubus maturis speciminum nostrorum deficiens, in germine vero foecundo scabriuscula observata. Peristomium simplex e dentibus sedecim aequidistantibus, horizontaliter incurvis, siccando per paria approximatis erectiusculis, infra capsulae orificium demissius insertis, brevibus, lanceolatis, obtusiusculis, linea mediana longitudinali obscure notatis, fragilibus, subopacis, haud trabeculatis. Sporae parvae, rotundatae, granulosae.

Habitat: in Surinamo, ubi in societate praecedentis collegit doct. VAN BEEK VOLLENHOVEN et communicavit cum herb. clariss. MIQUEL.

Tab. VII. fig. 1. planta feminea, 2. planta mascula, *nat. magnitud.*; 3. plantae femineae ramus, 4. plantae masculae apex, *decies et quinquies aucti*; 5. 6. folia caulina, tricies aucta; 7. sectio eorumdem transversa, centies aucta; 8. basis, 9. apex foliorum *ducenties auctorum*; 10. gemma mascula, 11. eadem, ablatis foliis exterioribus, *decies et quinquies auctae*; 12. antheridia cum paraphysibus quinquagies aucta; 13. folium perichaetii interius, tricies auctum; 14. archegonium cum paraphysi, centies auctum; 15. capsula cum vaginula et genitalibus, 16. ejusdem sectio longitudinalis, ut appareat columella et peristomii directio, *vicies auctae*; 17. peristomium a superiore, 18. operculum, *quinquagies aucta*; 19. peristomii pars, centies et quinquagies aucta; 20. sporae trecenties auctae; 21. germen foecundatum, quinquagies auctum.

OBSERVATIO. Inter varios Syrrhopodontes haec species facili negotio distinguitur fructu suo omnino sessili, charactere huic generi haud proprio. Praeterea differt a *Syrrhopodonte Berteroano*, cui proxime accedere videtur, florum masculorum dispositione terminali.

BARBULA HEDW.

22. BARBULA AGRARIA Sw. (*Tortula*) Fl. ind. occid. III. p. 1763. MÜLL. Syn. musc. I. p. 604. Linnaea 1848. p. 181; BRID.

Bryol. univ. I. p. 532. Hedw. Musci frond. III. p. 17. tab. 6; *Barbula stellata* Brid. Mant. musc. p. 88; *Barbula conica* Brid. musc. recent. II. I. p. 193; *Barbula acuminata* Brid. Musc. recent. II. 1. p. 208; *Tortula decipiens* Brid. sp. musc. I. p. 247; *Barbula domestica* Brid. Mant. musc. p. 89. Bryol. univ. I. p. 536; *Barbula latifolia.* Brid. Bryol. univ. I. p. 536; *Barbula pallens* Brid. Bryol. univ. I. p. 531; *Bryum agrarium* Sw. Prodr. p. 139; *Bryum acuminatum* Sw. Prodr. p. 139.

Plantae pusillae, lineas 2 circiter altitudine metientes, subsimplices, gregarie caespitosae, caespitibus laete viridibus planiusculis, radiculis plurimis laxe cohaerentes.

Folia erecto-patentia, apice paullo incurva, inferiora minora, superiora sensim majora inque comam paucifoliam congesta, exsiccando varie torta, spathulato-lanceolata, marginibus superne incurvis inferne involutis, concava, integerrima, costata, costa validiore flavida cum vel paullo sub apiculo desinente; areolatione densissima subopaca e cellulis minimis, hexagono-subquadratis, chlorophyllo obrutis, versus foliorum basin sensim majoribus et laxioribus, basilaribus maximis elongate quadratis chlorophyllo destitutis limpidis.

Florescentia monoica. Flos masculus in ramulo proprio basilari, inferne nudiusculo, superne comose folioso. Folia perigonii valde concava, basi convoluta, lanceolato-acuminata, erecta, integerrima, costata, costa valida ante apicem evanida. Antheridia plurima, cylindrica, paraphysibus filiformibus longitudine subaequalia. Flos femineus terminalis, solitarius: folia perichaetii exteriora comalibus similia, erecta; intima duo duplo breviora, cylindraceo-convoluta, laxius reticulata, praeter apicem obtusiuscule rotundatum hyalina, costata, costa evanida vel obsoleta.

Fructus terminalis, ratione exilitatis plantae alte pedicellatus. Pedicellus e vaginula cylindrica capillaris, laevis, exsiccando tortilis, 0,008 0,01 altus. Capsula erecta, in pedicellum attenuata, cylindrica, recta vel parumper curvata, versus orificium paullo angustata, fusca, laevis, siccitate plicato-costata et pedicelli torsione subinclinata, annulata; an-

nulo magno, revolubili, duplici. Operculum conicum, elongatum, obliquum, curvulum, obtusiusculum, capsulam dimidiam longitudine aequans vel superans.

Calyptra cuculliformis, diu persistens, una cum operculo vulgo decidua, laevis, capsulae partem supremam modo tegens. Peristomium simplex e dentibus 32 elongatis, angustis, sinistrorsum pluries contortis, papillosis, basi membrana angustissima vix annulum superante conjunctis.

Habitat: in Antillis insulis omnibus et terra continente vicina, in muris, agris saccharinis rupibusque: prope Paramaribo in fissuris humidis pontis veteris, e lapidibus constructi, Kegel n°. 502; in muris domorum urbis Paramaribo, mense Junio, Focke in hb. Miquel n°. 1432; in muris Surinami, hb. Acad. scient. nat. Philadelph. n°. 4.

Tab. VIII. fig. 1. 2. plantae nat. magnit.; 3. 4. 5. 6. folia caulina inferiora, 7. 8. media, 9. 10. 11. comalia, *tricies aucta*; 12. planta fructifera cum ramulo masculo, 13. planta sicca, *vicies auctae*; 14. basis, 15. apex, 16. media folii sectio, *ducenties auctae*; 17. flos masculus cum foliis duobus intimis, 18. vaginula, 19. 20. folia perichaetii, 21. calyptra, 22. operculum, 23. calyptra cum operculo inhaerente, 24. capsula cum peristomio et annulo revoluto, 25. capsula exsiccata, *tricies aucta*; 26. annuli pars ducenties aucta; 27. peristomii pars, 28. antheridium cum paraphysi, *centies aucta*; 29. dentis peristomii pars trecenties aucta.

MACROMITRIUM Brid.

23. MACROMITRIUM MUCRONIFOLIUM Schwaegr. Suppl II. II. 1. p. 61. tab. 170. Müll. Syn. Musc. I. p. 746. Linnaea 1848. p. 186. *Leiotheca mucronifolia* Brid. Bryol. univ. I. p. 729. 795. *Orthotrichum mucronifolium* Hook. et Grev. in Brewster Edinb. Journ. I. p. 116. tab. 4.

Habitat: Guianam Batavam, Weigelt, Splitgerber in hb. Acad. Lugd. Bat. n°. 1226; ad truncorum vetustorum corticem ri-

mosam prope Paramaribo, KEGEL n°. 992; ibidem, FOCKE in hb. MIQUEL n°. 1435.

24. MACROMITRIUM PENTASTICHUM MÜLL. Linn. 1848. p. 186. Syn. Musc. 1. p. 731.

Habitat: Surinam, in sylvis valde humidis, opacis, prope Mariepaston ad flumen Saramacca dictum, ramos arborum tenues habitans, sed rarius, KEGEL n°. 1405; prope Paramaribo, hb. Dz. et MB.

SCHLOTHEIMIA BRID.

*25. SCHLOTHEIMIA KEGELIANA MÜLL. Syn. Musc. I. p. 754. *Macromitrium Kegelianum* MÜLL. Linn. 1848. p. 187.

Habitat: locis magis apricis Surinami, prope Paramaribo, ad arborum truncos, ubi in scissuris bene viget, KEGEL n°. 506. *rara.*

HYPOPTERYGIUM BRID.

26 HYPOPTERYGIUM TOMENTOSUM MÜLL. Syn. Musc. II. p. 12; *Racopilum tomentosum* BRID. Bryol. univ. II. p. 719. *Racopilum mnioides* P. BEAUV. Prodr. p. 87. *Racopilum insigne* HNSCH. Pl. Sieb. ins. Trinit. n°. 19. *Hookeria tomentosa* GREV. *Hypnum tomentosum* HEDW. Musci frond. IV. p. 48. tab. 19. *Hypnum mucronatum* P. BEAUV. Prodr. p. 66. *Leskea ornithopodioides* BRID. Bryol. univ. II. p. 330. *Hypnum pennatum, ornithopodioides,* pinnulis pellucidis. DILL. Musc. p. 270. tab. 34. f. 9. A. B.

Habitat: Surinam, locis sylvaticis collectum in herb D. et MB.

NECKERA Hedw.

27. NECKERA DISTICHA Hedw. Musci frond. III. p. 58. tab. 22. Müller Syn. Musc. II. p. 46. Linnaea 1848. p. 188. *Daltonia disticha* Walk. Arn. Disp. p. 54. *Neckera* (*Distichia*) *retusa* Brid. Bryol. univ. II. p. 243. *Pilotrichum distichum* P. Beauv. Prodr. p. 83. *Pilotrichum truncatum* P. Beauv. Prodr. p. 83. *Fontinalis disticha* Sw. Prodr. fl. ind. occid. p. 138.

Habitat: per Antillarum insulas et oras vicinas frequens. In sylvis prope Paramaribo, ad arborum truncos et fruticum ramulos, Kegel n°. 507. In truncis arborum Surinamensium vulgaris, Splitgerber in hb. Acad. Lugd. Bat. n°. 63. In truncis arborum juxta viam ad Tourtonne, Focke in hb. Miquel n°. 1437 ex parte, n°. 1390 et n°. 1391 — Sine loco speciali in Herb. Acad. of nat. science at Philadelphia n°. 7, 9 et 10 ex parte.

*28. NECKERA BORYANA Müll. Syn. Musc. II. p. 75. *Pterogonium Boryanum* Mtge ms. *Pterogonium urceolatum* Schw. in muscis Surinam. Weig. Müll. Linnaea 1848. p. 197.

Habitat: in arborum Surinamensium truncis, Weigelt; in trunco Tamarindi Indicae prope Paramaribo, Kegel n°. 508.

29. NECKERA PULCHELLA Müll. Synops. Musc. II. p. 78. *Pterogonium pulchellum* Hook. Musci exot. I. tab. 4. Schwägr. Suppl. III. 1. 1. tab. 210. *Pterigynandrum pulchellum* Brid. Bryol. univ. II. p. 179.

Habitat: in Surinamo locis umbrosis, Focke in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 17.

30. NECKERA QUINQUEFARIA Müll. Syn. Musc. II. p. 124. *Isothecium pentastichum* Müll. Linnaea 1848. p. 196, non Brid.

Leskea pentasticha Hnsch. in Musc. Sieb. n°. 29. *Hypnum terrestre* Aubl. pl. Guian. IV. p. 962?

Habitat: sterilem tantum notam speciem locis humidis subumbrosis sylvarum prope Paramaribo, a ramulis fruticum dependentem, collegit Kegel n°. 515. Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 1201.

31. NECKERA FUNALIS Müll. Syn. Musc. II. p. 136. *Pilotrichum funale* Wils. Ann. and Mag. of Nat. Hist. 1847. XX. p. 378.

Habitat: in Surinamo ad arbores, Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 139.

PILOTRICHUM P. Beauv.

32. PILOTRICHUM UNDULATUM P. Beauv. Prodr. p. 83. Müll. Syn. Musc. II. p. 147. *Daltonia undulata* Walk. Arn. Disp. p. 54. Neckera (Distichia) undulata Brid. Bryol. univ. II. p. 241. *Neckera undulata* Hedw. Musci frond. III. p. 51. tab. 21. Müll. Linn. 1848. p. 188. *Hypnum Jamaicense* Gmel. Syst. nat. II. p. 1341. *Fontinalis crispa* Sw. Prodr. p. 138. *Sphagnum pennatum, undulatum, vagina pilosa* Dill. Musc. p. 294. t. 32. f. 8.

Habitat: per Antillarum archipelagum totam et oras vicinas vulgatissimum, supra lapides humidas radicesque arborum. In sylvis, locis udis haud umbrosis truncorum basin investiens, prope Pamaribo, Kegel; Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 1203. n°. 1208; Focke in hb. Acad. Lugd. Bat. n°. 1437; herb. Acad. of nat. science at Philadelph. n°. 8.

33. PILOTRICHUM BIPINNATUM Brid. Bryol. univ. II. p. 263. Müll. Syn. Musc. II. p. 178. *Daltonia bipinnata* Walk. Arn. Disp. p. 55. *Callicosta bipinnata* Müll. Linnaea 1848. p. 189. *Neckera bipinnata* Schw. Suppl. I. II. p. 156. tab. 83.

Habitat: in sylvis humidis Surinamensibus FOCKE in hb. MIQUEL n°. 1196; hb. D. et MB.; in sylvis humidis opacis prope Joden-Savanna ad ramos, KEGEL n°. 991. — Variat:

β *evanescens* (γ) MÜLL. Syn. Musc. II. p. 179. *Callicosta evanescens* MÜLL. Linn. 1848. p. 189.

Habitat: ad truncos putrescentes in plantationibus Tourtonne et Quarta prope Paramaribo, KEGEL n°. 742.

METEORIUM D. et MB.

34. METEORIUM PATULUM D. et MB. *Pilotrichum patulum* BRID. Bryol. univ. II. p. 771. MÜLL. Syn. Musc. II. p. 155. *Hypnum patulum* HEDW. Sp. Musc. p. 279. tab. 73. BRID. Bryol. univ. II. p. 514. SW. Prodr. fl. ind. occid. p. 140. *Hypnum cirrhiferum* SPRENG. in Brid. Bryol. univ. II. p. 410. *Isothecium patulum* MTGE in litt. ad Splitgerber.

Planta epidendra corticem arborum et ramorum investiens, primo prorepens, dein vero caulium filiformium incremento longe subinde ab iisdem dependens, tenera, flaccida, laete viridis, dein lutescens, parce fructifera. Caulis filiformis, flexuosus, radicans, elongatus, laxe foliosus, varie divisus, saepe attenuatus et effilescens, ubi supra corticem arborum prorepit densius, ubi ab eodem dependet remote ramulosus. Ramuli breves, plerumque simplices, patentes vel divaricati, curvuli, flexuosi, subaequales, quasi truncati, in caulium apice filiformi valde remoti brevissimi.

Folia caulina et ramea laxe disposita, squarrosa, e basi subcordata semiamplexicauli subito reflexa, late lanceolata, piliformi-acuminata, magis minusve complicata, apice flexuosa, margine undato plicato subtiliter serrulata, costata, costa debili viridi infra acumen evanescente, nitentia, tenuia; areolatione densa e cellulis lineari-oblongis, elongatis, in baseos serie infima subquadrato-oblongis parum amplioribus. In caulis apice filiformi dispositio et forma foliorum recedit: illa enim haud

squarrosa, sed laxe imbricata, patula; haec e basi amplexicauli in acumen longius, piliforme, flexuoso-tortile, denticulatum attenuata.

Florescentia dioica. Flores utriusque sexûs gemmiformes; gemmae masculae plures, axillares, inter folia ramulorum reconditae, magnae, hexaphyllae, oblongae, apice parum patulae. Folia perigonii erecta, imbricato-convoluta, apice parum reflexa, late ovato-acuminata, valde concava, integerrima, costa destituta; duobus inferioribus duplo minoribus, acumine magis reflexo. Antheridia pauca, oblongo-cylindrica, stipite brevi filiformi praedita, paraphyses filiformes paucas longitudine aequantia. — Flores feminei in gemma polyphylla, patula, plerumque ramulis inserta. Folia perichaetii basi laxe imbricata, flexuose erecto-patula vel reflexa, concava, snbintegerrima, summo apice tenuissime serrulata; 1–2 infima minora, ovata, obtusiuscula; superiora elongate lanceolata, acuminata, acumine saepe flexuoso subtortili, folia ramulina longitudine multo superantia, costata, costa debili ad mediam folii partem evanescente; interiora costa destituta, areolatione laxiore quam in foliis rameis. Archegonia pauca, 5–6, parva, paraphysibus copiosis filiformibus breviora. Paraphyses extra perichaetium emergentes, e basi vario modo curvata flexuosae, apice excepto e pluribus cellularum linearium seriebus compositae.

Fructus solitarius, lateralis, in singulo ramulo 1 rariusque 2. Pedicellus e vaginula brevi cylindrica pallida paraphysibus copiosis obsita erectus, leviter curvatus, brevissimus, paululum extra perichaetium emersus, laevis. Capsula aequalis, erecta, oblonga, basi in pedicellum attenuata eumdemque longitudine parum superans, laevis, pallide fusca, annulata. Annulus rubro-fuscus, e serie duplici cellularum laxe cohaerentium quadratarum minimarum compositus. Operculum convexo-conicum, rostratum; rostello brevi, subulato, obliquo. Calyptra conico-mitraeformis, basi pluries laciniata, supremam capsulae partem tantum tegens, diu persistens, pilis multis longis rigidis praecipue basi adnatis crinita: pili isti simili modo sunt intorquati ac paraphyses floris feminei supra descripti. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, lanceolato-linearibus, acuminatis, adscendenti-erectis, acu-

mine subulato stricto siccando parum recurvis, e luteo albescentibus, punctulatis, trabeculatis, linea divisuriali debili ad mediam longitudinem evanescente notatis; *interius* e ciliis sedecim lineari-subulatis, tenerrimis, punctulatis, peristomii exterioris dentes longitudine fere aequantibus, inferne e serie duplici cellularum compositis et carinatis, foraminulis angustis subinde carina pertusis, basi membrana brevissima carinato-plicata unitis.

Habitat: ad ramos arborum et supra folia in Surinamo vulgaris, Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat.; prope Paramaribo Focke in hb. Miquel n°. 1436 et in hb. D. et Mb. sub n°. 15; ad truncos arborum in via circa Tourtonne, Focke in hb. Miquel n°. 1389 ex parte.

Tab. X. fig. 1. plantae pars nat. magnit.; 2. pars ramuli vicies aucti; 3. 4. folia ab anteriore, 5. folium a latere, 6. idem ex apice caulis filiformi, *tricies aucta*; 7. basis, 8. apex folii, *trecenties aucti*; 9. flos masculus tricies auctus; 10. antheridium cum paraphysi quinquagies auctum; 11. archegonium centies auctum; 12. vaginula cum pedicello et fructu operculato, decies aucta; 13. perichaetium cum fructu deoperculato, vicies auctum; 14. calyptra decies aucta; 15. pilus calyptrae quadragies auctus; 16. pars peristomii sexagies aucta.

Observatio. Vix dubitamus, quin synonyma Hedwigianum et Bridelianum, supra allata, revera huc pertineant. Auctores illi specimina sterilia modo habuisse affirmant eaque, de genere incerti, inter Hypna disposuerunt. Nec mirandum, quia in speciei adeo vulgaris copia insigni pauca modo specimina parcissime fructigera invenimus. Nihilominus Bridel in supplemento ad Bryologiam universam *Hypnum patulum* jam monuit verum esse Pilotrichum; cujus generis sectioni, quam nos genus proprium Meteorium salutamus, optime habitu et characteribus reliquis respondet, licet ex capsula annulata pateat, inde petitam notam differentialem generis Meteorii variabilem ac ideo delendam esse.

HOOKERIA Sm.

35. HOOKERIA AFFINIS Müll. Syn. Musc. II. p. 199. *Lepidopilum affine* Müll. Linn. 1848. p. 192.

Habitat: in truncis arborum prope Paramaribo, Kegel n°. 741, Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 1205, Focke in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 319.

Observatio. Species non nisi sterile adhucdum nota. In speciminibus nostris aderant pedicelli, delapsis jam nimia maturitate fructibus. Pedicelli illi scabri sunt.

36. HOOKERIA SURINAMENSIS Müll. Syn. Musc. II. p. 207. *Lepidopilum Surinamense* Müll. Linnaea 1848. p. 193.

Habitat: In sylvis primaevis prope Mariepaston Surinami, ad truncos arborum sterilem legit, Kegel n°. 1406; prope Paramaribo in truncis, hb. D. et Mb.; inter *Hypnum papillosum* prope Paramaribo, Focke in hb. Miquel n°. 1192.

37. HOOKERIA PALLIDA Hnsch. fl. bras. I. p. 64. Müll. Syn. Musc. II. p. 220. *Hookeria scabriseta* Schwägr. Suppl. III. II. 1. tab. 275. *Hookeria Weigeltiana* Müll. Linn. 1848. p. 190.

Habitat: Surinami, Weigelt; in truncis plantationis Tourtonne prope Paramaribo, Kegel n°. 510; in truncis Tamarindi Indicae et in sylvis udis prope Paramaribo, Kegel, Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat.; Herb. Acad. scient. nat. Philadelph. n°. 11.

*38 HOOKERIA PARKERIANA Hook. Spreng. Syst. veget. IV. p. 197. Müll. Syn. musc. II. p. 194.

Habitat: in Surinamo (Weigelt ?)

HYPNUM Dill. emend.

*39. HYPNUM CUSPIDATIFOLIUM Müll. Syn. Musc. II. p. 237.
Acosta cuspidata Müll. Linnaea 1848. p. 192.
Habitat: copiose in truncis putridis sylvarum prope Paramaribo, Kegel nº. 990.

*40. HYPNUM SUBDENTICULATUM Müll. Syn. Musc. II. p. 242.
Acosta Swartzii Müll. Linnaea 1848. p. 191. *Hookeria Swartzii* Schwaegr.
Habitat: locis udis apricis prope Paramaribo, Weigelt; frequens in plantationibus Quarta et Poelebantje prope Paramaribo, Kegel.

41. HYPNUM SURINAMENSE D. et Mb. Planta tenera, luteo-viridis, prostrata, cum aliis muscorum speciebus, *Hypno plano,* etc, consociata, corticem arborum intricato tegmine investiens. Caulis filiformis, flexuosus, prorepens, radiculis copiosis rubro-fuscis cortici arborum arcte adnatus, fragilis, elongatus, divisus, pinnatim ramosus. Rami subaequales, simplices, breves, versus caulis apicem longitudine decrescentes, remotiusculi, subhorizontaliter patentes, procumbentes, siccitate flexuose curvati et adunci, uti caules laxiuscule foliosi, complanati. Folia praesertim sicca subsecunda, laxe disposita, e basi semiamplexicauli ovata magis minusve cuspidato-acuminata, curvata, pro situ foliorum antico, postico vel laterali recte vel oblique incurva vel recurva, ita ut foliorum apices in unam eamdemque directionem flectantur, basi excepta planiuscula, lateralibus altera ala complicato-inflexis, subintegerrima, nonnumquam versus apicem cellulis prominulis crenulato-serrulata, ecostata, subinde vero obsoletissime et brevissime bicostata, nitentia, tenera, flaccida, valde pellucide reticulata; areolatione e cellulis rhombeo-hexagonis, versus basin folii magis lineari-elongatis.

Florescentia monoïca. Flores utriusque sexûs gemmiformes, cauligeni,

4

axillares; masculi in gemmula ovata, minima, polyphylla, cauli juniori insidente et intra folia caulina occulta. Folia perigonii circiter octo late ovata, valde concava, convoluta, integerrima, costa destituta; exteriora minora cuspidato-apiculata, apiculo recurvo vel patulo; interiora erecta, acuta, valde hyalina et laxissime areolata. Antheridia pauca, ovato-oblonga, breviter stipitata, paraphysibus filiformibus 3–4 septatis parum breviora. Flores feminei in gemma ovato-subulata, curvata, polyphylla, cauli inserta: folia perichaetii 10–12; inferiora minora, ovata, magis minusve cuspidato-acuminata, cuspide incurvo vel recurvo versus unum latus directo; superiora et interiora e basi lata convoluto-concava valde elongata, cuspidato-acuminata, apice flexuoso erecta vel recurva; omnia integerrima, costa destituta, valde hyalina, areolatione e cellulis quam in foliis caulinis amplioribus et magis elongatis. Archegonia minima, paraphysibus filiformibus breviora.

Fructus exilis, lateralis, solitarius. Pedicellus e vaginula oblongo-cylindrica erectus, tenuis, rubro-purpureus, laevissimus, valde flexuosus, imprimis exsiccando tortilis, pollicem circiter altus. Capsula aequalis, nutans vel pendula, ovata vel obovata, laevis, pallide rubra, e cellulis subrotundo-hexagonis conflata, exsiccando infra orificium valde contracta, annulata, annulo simplici. Operculum e basi convexa conico-rostellatum, rostello brevi, obliquo, obtusiusculo. Calyptra conico-subulata, parum latere incisa, laevis, fugax. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, erecto-conniventibus, siccando incurvis, e basi lata lanceolato-acuminatis, dense trabeculatis, linea mediana longitudinali in acumine dissoluta notatis, margine vestigio membranae tenerrimae hyalinae quasi scarioso-marginatis, rubro-purpureis; *interius* e dentibus sedecim erectis, lineari-subulatis, carinato-complicatis, punctulatis, dentibus externis longitudine aequalibus iisdemque alternis, basi membrana carinato-concava sedecies plicata et alte exserta conjunctis; interjectis ciliolis duabus, dentibus externis dimidio brevioribus, teneris. Sporae minimae, globosae.

Habitat: in Surinamo ad arborum truncos et ramos, SPLITGERBER in herb. Acad. Lugd. Bat. Ex eodem loco, sub titulo *Hookeriae* n°. 12, hb. Acad. scient. nat. Philadelph.

Tab. XIV. fig. 1. 2. plantae nat. magnit.; 3. particula caulis cum ramulo, vicies aucta; 4. 5. 6. folia ramea, 7. folium rameum laterale, alterâ alâ inflexâ, *quadragies aucta*; 8. basis, 9. apex folii, *centies et quinquagies aucti*; 10. flos masculus quadragies auctus; 11. antheridia cum paraphysibus octagies aucta; 12. perichaetium tricies auctum; 13. folium perichaetii internum quadragies auctum; 14. archegonium cum paraphysibus, centies et quinquagies auctum; 15. vaginula tricies aucta; 16. 17. capsulae, operculata et deoperculata, 18. capsula sicca, 19. calyptra, *vicies auctae;* 20. peristomii pars centies aucta; 21. sporae trecenties auctae.

OBSERVATIO. *Hypnum Surinamense* affine videtur *Hypno subdenticulato* MÜLL. et *Hypno conostego* MÜLL. (Syn. Musc. II. p. 242); imo non miremur, si iteratum examen doceret. Specimina Kegeliana et Weigeltiana, quae MÜLLERUS ad *H. subdenticulatum* retulit, revera ad speciem supra descriptum pertinere.

42. HYPNUM PAPILLOSUM HNSCH. fl. bras. I. p. 82. tab. 4. MÜLL. Syn. Musc. II. p. 272. *Hypnum spirale* MÜLL. Linnaea 1848. p. 200.

Planta luteo-viridis, sericeo-nitens, sicca lutescens, caespitosa, corticola. Caulis repens, fusco-radiculosus, vage ramosus; rami adsurgentes, breves, latiusculi, parum curvati, compressiusculi, uti caulis dense foliosi.

Folia dense imbricata, erecto-patentia, interdum subhomomalla laxe imbricata, suboctosticha, anticis et posticis erecto-adpressis, e basi angustiore brevi semiamplexicauli oblongo-lanceolata, acuminata, acumine recto vel semitorto, concava, caulina latiora, superiora angustiora, marginibus exstantibus versus acumen undulatis integerrima vel sub magno augmento obsolete serrulata, dorso verrucoso-papillosa, papillis acutiusculis brevibus confertis obsita, costa destituta vel obsolete et brevissime bicostata; areolatione e cellulis linearibus, brevibus, versus folii basin valde elongatis, parumper flexuosis, alaribus ad utrumque baseos latus 3–4 magnis, turgidis, hyalinis, aureis.

Inflorescentia monoïca et hermaphrodita. Flores utriusque sexûs gemmiformes, axillares: gemmae masculae in caule ramisque dispositae,

ovato-subrotundae, subclausae, parvae, polyphyllae. Folia perigonii convoluto-concava; exteriora late ovato-acuminata, acumine elongato tenuiter serrulato, costa destituta; interiora minora, brevius acuminata, serrulata. Antheridia plurima, stipitata, paraphysibus destituta, ovali-cylindrica. — Flores feminei in gemma subulata, polyphylla, cauligena: folia perichaetii erecta, valde concava, basi convoluta, caulinis longitudine aequalia at multo angustiora longiusque acuminata, argute serrata, lanceolato-subulata, laxius reticulata; exteriora parva, serrulata, interioribus duplo triplove breviora. Archegonia multa, parva, gracilia, paraphysibus paucis filiformibus subquadriseptatis duplo fere longiora. Gemmae hermaphroditae, subcylindricae, incurvae foliis falcato-secundis.

Fructus parvus, lateralis, solitarius, alte pedicellatus. Pedicellus tenuis, e vaginula cylindrica angusta erectus, rubro-purpureus, nitens, 0,01–0,015 altus, laevis, summo apice scabriusculus, siccitate tortilis, apice incrassato incurvatus. Capsula aequalis, inclinata vel pedicelli curvatura horizontalis, sicca nutans vel pendula, parva, oblongo-cylindrica vel obovata, sicca sub orificio valde constricta urceolata ore dilatato, brunnea, nitoris expers, e cellulis quadratis nodulosis conflata, annulo destituta. Operculum e basi convexa rostratum, rostro aciculari flexuoso oblique curvato, capsulae longitudinem superans. Calyptra cuculliformis, laevis. Peristomium duplex; *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, erecto-incurvis, conniventibus, siccando incurvis, e basi lata lanceolato-acuminatis, trabeculatis, linea mediana longitudinali in acumine punctulato pallido dissoluta notatis, luteis; *interius* e dentibus sedecim lanceolato-acuminatis, erecto-conniventibus, siccando erectis, carinatis, dorso carinae saepe pertusis, lutescentibus, punctulatis, dentibus peristomii exterioris longitudine aequalibus iisdemque alternis, basi membrana obsolete carinato-plicata paullo supra capsulae orificium exserta conjunctis, interjectis ciliorum vestigiis.

Habitat: in Surinamo inter *Hypnum subsimplicem*, WEIGELT. In Surinamo ad arborum truncos, FOCKE in herb. MIQUEL n°. 1338 et n°. 1192 ex parte.

Tab. XV. fig. 1. planta nat. magnit.; 2. ramuli pars decies et quinquies

aucta; 3. 4. folia, 5. folium ex apice ramorum, *tricies aucta.* 6. basis, 7. apex folii, *centies et quinquagies aucti;* 8. flos masculus, 9. flos hermaphroditus, 10. flos femineus, *quinquagies aucti*; 11. antheridia, 12. genitalia floris hermaphroditi, 13. archegonia cum paraphysi, *centies aucta;* 14. perichaetium cum folio caulino et vaginula, 15. vaginula, 16. 17. 18. capsulae, 19. operculum, 20. calyptra junior, *tricies aucta*; 21. capsula sicca, *quinquagies aucta*; 22. peristomii pars ducenties aucta.

43. HYPNUM SUBSIMPLEX Hedw. Spec. musc. p. 270. tab. 69. Müll. Syn. musc. II. p. 283. Linnaea 1848. p. 199. *Isothecium subsimplex* Brid. Bryol. univ. II. p. 357 ex parte. *Hypnum simplex* Brid. Sp. musc. p. 251. *Hypnum simplicissimum* Brid. Musc. recent. II. II. p. 189. *Hypnum brachypoma* Schw. in sched.

Planta luteo-viridis, nitens, late et laxe caespitosa, cortici arborum adnata. Caulis longe et flexuose prorepens, varie divisus, ramulis brevibus subsimplicibus remotiusculis assurgentibus compressiusculis irregulariter divisus.

Folia laxe imbricata, erecto-patentia, antica et postica erecto-patula, versus ramorum apices plerumque attenuatos magnitudine decrescentia angustiora marginibus et acumine planiuscula, e basi angustiore brevi latiuscule ovata, subulato-acuminata, strictiuscula, concaviuscula, margine erecto subintegerrima, altera ala magis minusve inflexa, costa destituta vel costis binis brevissimis obsoletis praedita; areolatione e cellulis linearibus brevibus, versus basin elongatis; ad utramque baseos alam circiter 4 magnis, turgidis, aureis.

Inflorescentia monoïca. Flores utriusque sexûs gemmiformes: gemmae masculae in ramis et ramulis axillares, ovato-subglobosae, subclausae vel omnino patulae, polyphyllae; folia perigonii convoluta, exteriora late ovata acuminata, interiora ovato-subrotunda apiculata, media exterioribus et interioribus majora praesertim in perigoniis patulis, costa destituta, subintegerrima. Antheridia parva, paraphysibus destituta, oblongo-cylindrica, evacuata obconica, brevissime stipitata. — Floris feminei gemma oblongo-cylindrica, patula, in caulibus et ramis axil-

laris. Folia perichaetii erecta, inferiora minora ovato-acuminata, superiora lanceolata filiformi-acuminata, basi involuto-concava, apice flexuosa, subintegerrima, basi laxe areolata, areolis flavidis, superiora versus sensim densius reticulata. Archegonia pauca, filiformia, paraphysibus destituta, foliis intimis perichaetii breviora.

Fructus lateralis, solitarius, plures in eodem caule et ramo, altius pedicellatus. Pedicellus e vaginula cylindrica angusta erectus, capillaris, 0,01–0,015 altus, laevis, rubro-luteus, curvatus, siccando tortilis. Capsula horizontalis, sicca nutans, parva, oblonga vel obconica, effoeta suburceolata, sub orificio parum contracta, annulo destituta, laevis. Operculum nobis deficiens, MÜLLERO auctore, cupulatum, oblique rostellatum, breve. Calyptra cuculliformis, laevis. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, lanceolato-acuminatis, dense trabeculatis, flavidis, erecto-conniventibus, siccando inflexis, linea mediana longitudinali ad acumen usque leviter notatis; *interius* e dentibus luteis, anguste lanceolatis, capillari-acuminatis, peristomii exterioris dentibus parum longioribus iisdemque alternis, carinatis, carina subinde pertusis; interjecto ciliolo capillari, dentibus parum breviore, solido et ex unica cellularum serie vel subinde basi perforato ibidemque e duplici serie cellularum conflato.

Habitat: in Guiana Batavica, WEIGELT, FOCKE in herb. MIQUEL n°. 1192; ad truncos vetustos prope Paramaribo et in sylvis opacis prope Mariepaston, KEGEL n°. 1409.

Tab. XVI. fig. 1. planta nat. magnit.; 2. plantae pars vicies et quinquies aucta; 3. folium, 4. folium a tergo, 5. folium ramorum superius, *quinquagies aucta*; 6. basis, 7. apex folii, *centies et quinquagies aucta*; 8. gemma mascula patula cum folio rameo a latere, 9. perigonium subclausum, *quadragies aucta*; 10. 11. folia perigonii subclausi exteriora, 12. 13. media, 14. intimum, *septuagies et quinquies aucta*; 15. antheridia centies et quinquagies aucta; 16. gemma feminea quadragies aucta; 17. archegonium, cum folio interiore gemmae femineae, septuagies et quinquies auctum: 18. vaginula quadragies aucta; 19. calyptra vicies aucta; 20. 21. capsulae, 22. capsula sicca, 23. capsula effoeta, *quinquagies auctae*; 24. pars peristomii centies et quinquagies aucti.

44. HYPNUM PLANUM Brid. Bryol. univ. II. p. 394. Schwägr. Suppl. III. II. 2. t. 280. Müll. Syn. Musc. II. p. 264. *Leskea* (*Omalia*) *cymbifolia* Brid. Bryol. univ. II. p. 333. *Leskea subpinnata* Brid. Bryol. univ. II. p. 287 ex parte. *Hypnum instratum* Brid. Bryol. univ. II. p. 394. Müll. Linnaca 1848. p. 199.

Habitat: prope Paramaribo ad corticem arborum, Splitgerber in herb. Acad. Lugd. Bat.; ad truncos arborum prope Mariepaston in sylvis primaevis, — ad truncos arborum, ad lignum putridum et lapides locis humidis prope Paramaribo frequens, Kegel n°. 1408; in cortice Achras Sapotae, Focke in herb. Miquel et in herb. Acad. Lugd. Bat. n°. 14.

45. HYPNUM RICHARDI Schwägr. Suppl. I. II. p. 205. t. 93. Müll. Syn. Musc. II. p. 285. Linnaea 1848. p. 199. *Isothecium Richardi* Brid. Bryol. univ. II. p. 358.

Habitat: in sylvis prope Paramaribo, Kegel, herb. D. et Mb.; ad truncos Tamarindi indicae in sylvis prope Mariepaston frequens, Kegel n°. 1407.

46. HYPNUM KEGELIANUM Müll. Syn. Musc. II. p. 325. *Leskea Kegeliana* Müll. Linnaea 1848. p. 198. *Leskea Dominicensis* Mtge ms. *Leskea cespitosa* Brid. Bryol. univ. II. p. 288 e. p. *Leskea subpinnata* Brid. Bryol. univ. II. p. 287.

Plantae virides vel lutescentes, dense et late caespitosae, caespitibus planis lapides et arborum cortices investientibus. Caulis vage intricato-ramosus; rami ascendentes, conferti, rarius laxe dispositi, iterum vage ramulosi, valde homomallophylli et ideo dorso complanati, exsiccando utrinque valde compressi et apice uncinato-incurvati.

Folia maxime homomalla, dorsalia oblique erecta adpressa, reliqua subhorizontaliter patentia, sicca omnia falcato-secunda, brevia, late ovata vel obovata et oblongo-ovata, breviter apiculata, summa cuspidato-acuminata, cymbiformi-concava, ecostata, laevia, ob marginem integerri-

mum valde recurvum utrinque quasi semel plicata, laxe areolata; areolatione e cellulis hexagono-ellipticis, versus folii basin magnitudine parum increscentibus, veluti incrassatis, alaribus inferioribus parvis subquadratis indistincte vesiculaeformibus.

Florescentia monoica in caule et ramis. Flores masculi in gemma oligophylla, ovato-subglobosa, in axillis foliorum abscondita; folia perigonii subsena, latissime ovata vel ovato-subrotunda, interiora late ovato-acuminata, erecta, apicibus patula, arcte convoluta, ceterum foliis caulinis et rameis similia. Antheridia multa, parva, altius pedicellata, pedicello antheridium dimidium subaequante, ovali-oblonga, paraphysibus destituta vel earumdem vestigiis vix pedicello antheridii longioribus munita. — Perichaetia majora, supra folia caulina emersa, subcylindracea, polyphylla, plurima in eodem caule vel ramo; folia erecto-patula, convoluta, inferiora minora, superiora sensim majora, ovato-oblonga, acuminata. Archegonia parva, robusta, paraphysibus filiformibus et subinde cellula dilatata terminatis fere duplo longiora.

Fructus solitarii, laterales, plures in eodem ramo. Pedicellus e vaginula oblonga erectus, longiusculus, 0.01 altus, laevis, rubro-purpureus, apice recto parumve curvato in capsulam sensim dilatatus. Capsula erecta, subaequalis, e basi angustissima longiuscule cylindrica subarcuata, vel ovali-cylindrica recta, orificio exsiccando coarctato, annulo destituta, saturatius rubro-fusca. Operculum e basi convexo-conica longe rostratum, capsulam dimidiam longitudine fere aequans, rostro aciculari obliquo. Calyptra cuculliformis, in capsula matura operculi rostrum tantummodo tegens, propter ejusdem directionem obliquam basi sua a capsula divergens, laevis, pallida. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, brevibus, lanceolato-acuminatis, dense trabeculatis, praeter acumen linea mediana longitudinali notatis, erecto-conniventibus, siccando reflexis, tenuibus, planiusculis, luteis; *interius* e membrana vix exserta, obsolete sedecies carinato-plicata, apice fissa in processus totidem angustos, tenues, carinatos, lineares, filiformi-acuminatos, integros, dentibus externis alternos iisdemque longitudine

aequales, humiditate et siccate erecto-conniventes, interjecta ciliola tenerrima capillari ad dentis externi dimidiam altitudinem assurgente.

Habitat: Suriname ad truncos, SPLITGERBER (anno 1838) in herb. Acad. Lugd. Bat., hb. D. et MB.; ad arborum truncos prope Tourtonne, FOCKE in herb. MIQUEL n°. 1389 ex parte; locis humidis ad arborum truncos, in radicibus prope Paramaribo (*Poelebantje*) et in sylvis opacis prope Mariepaston, ad flumen Saramaccam, KEGEL (1844) n°. 513. n°. 730. n°. 1440.

Tab. XVII. fig. 1. planta nat. magnit.; 2. rami apex, ab anteriore, vicies auctus; 3. apex rami cum perichaetio, a dorso; 4. ramuli exsiccati apex cum perichaetio et innovatione, vicies auctus; 5, 6, 7, 8. folia quadragies aucta; 9. apex, 10. basis folii, *ducenties aucti;* 11. areolatio quadringenties aucta; 12. flos masculus sexagies auctus; 13. flos femineus tricies auctus; 14. antheridia cum paraphyseos vestigio, 15. archegonium cum paraphysibus, *centies et quinquagies aucta;* 16. capsula cum calyptra, 17. capsula operculata, *vicies aucta;* 18. peristomium, 19. idem exsiccatum, *quinquagies aucta;* 20. peristomii sectio verticalis, ut dentium internorum alternatio cum externis appareat, septuagies et quinquies aucta; 21. peristomii pars centies et quinquagies aucta.

OBSERVATIO. Planta in posterum verosimiliter ad aliud genus referenda, Anomodontibus et Leskiaceis habitu et crescendi modo magis affinis.

47. HYPNUM CONGESTUM SW. Prodr. fl. ind. occ. p. 142. HEDW. Sp. musc. p. 283. tab. 74. MÜLL. Syn. musc. II. p. 358. *Leskea congesta* BRID. Bryol. univ. II. p. 323 ex parte.

Habitat: in Surinamo, hb. D. et MB.

48. HYPNUM MICROTHECA MÜLL. Syn. musc. II. p. 393. Linnaea 1848. p. 199.

Planta pusilla, tenella, sericea, abunde fructigera, latissime caespitosa, caespitibus compactis, deplanatis, laete vel pallide viridibus, nitidulis,

mollibus. Caulis arborum cortici adnatus, repens, vage et subpinnatim intricato-ramosus, flexuosus; rami conferti, breves, tenuissimi, laxe foliosi, compressiusculi.

Folia plumose imbricata, erecto-patentia, anticis et posticis erecto-adpressis, nonnumquam subsecunda, e basi brevissima angusta ovali-acuminata, stricta, subinde acumine semitorta, concava, marginibus erectis subintegerrima, laevia, pellucida, ecostata vel costis binis obsoletissimis basilaribus praedita; areolatione laxa e cellulis linearibus, ad utramque baseos alam parvis quadratis hyalinis laxiusculis.

Florescentia monoïca. Flores utriusque sexûs gemmiformes, in eodem ramulo saepe alterni. Gemma mascula ovato-subrotunda, minima, subclausa, foliis rameis duplo triplove minor. Folia perigonii convoluto-concava, late ovata, acuminulata; antheridia pauca, minutissima, ratione totius plantae sat magna, ovato-subrotunda, evacuata obpyriformia, paraphysi unâ alterâve tenerrimâ filiformi elongate bi- vel triseptatâ breviora. — Gemma feminea subcylindrica, curvula, oligophylla. Folia perichaetii exteriora breviora, ovato-acuminata, acumine saepius parum tortili, patula; reliqua basi convoluta, erecto-patula, filiformi-acuminata, caulinis laxius areolata, costa destituta. Archegonia pauca, brevissima, robusta, paraphysibus destituta.

Fructus solitarii, axillares, cauligeni, brevissime pedicellati, vix supra ramulos prominentes. Pedicellus e vaginula cylindrica erectus, 0,004–0,005 altus, tenerrimus, laevis, flavidus, apice curvatus. Capsula inclinata, sicca nutans, cylindracea, junior saepiusque matura anguste cylindracea in pedicellum attenuata, aurantiaca, ore brunnea, laevis, siccando sub orificio contracta ore dilatato, annulo destituta. Operculum convexum, rostellatum, rostello obliquo brevi. Calyptra cuculliformis, laevis. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, lineari-lanceolatis, acuminatis, rufescentibus, erecto-conniventibus, siccando erecto-incurvis, dense trabeculatis, linea mediana longitudinali ad altitudinem dimidiam notatis; *interius* e dentibus sedecim, peristomio externo longitudine aequalibus ejusdemque dentibus alternis, flavis, solidis, carinatis, basi membrana brevissime exserta carinato-plicata conjunctis, interjectis ciliis singulis brevissimis.

Habitat: in Surinamo, ubi omnium primus collegit doct. VAN BEEK VOLLENHOVEN et cum herb. clariss. MIQUEL communicavit. FOCKE in herb. MIQUEL n°. 1388; ad truncos prope Paramaribo, KEGEL.

Tab. XVIII. fig. 1. planta natur. magnit.; 2. plantae pars tricies aucta; 3. ramuli pars cum gemmis masculis et femineâ, 4. 5. 6. folia, *quinquagies aucta*; 7. folium centies et quinquagies auctum; 8. antheridia centies aucta; 9. 10. folia perigonii, 11. perichaetium, 12. ejusdem folium interius, *quinquagies aucta;* 13. archegonium centies auctum; 14. capsula operculata, 15. capsula deoperculata, 16. capsula junior, 17. capsula sicca vetustior, 18. calyptra, *quinquagies auctae*; 19. peristomii pars ducenties aucta; 20. sporae trecenties auctae.

49. HYPNUM PUNGENS HEDW. Spec. musc. p. 237. tab. 60. MÜLL. Syn. musc. II. p. 387. *Leskea pungens* Sw. Fl. ind. occid. III. p. 1806. BRID. Bryol. univ. II. p. 291. MÜLL. Linnaea 1848. p. 197. *Leskea patens* HNSCH. Fl. brasil. I. p. 72.

Plantae caespitosae, laxe cohaerentes, uberrime fructigerae, rigidiusculae, luteo-virides, siccae stramineo-lutescentes; caulis repens, vage ramosus, flexuosus; rami e basi adscendente erecti, curvati, flexuosi, crassiusculi, laxe foliosi, valde irregulariter ramulosi, ramulis cuspidatis vel aduncis.

Folia undique inserta, subhorizontaliter patentia, versus apices ramorum attenuatos subsecunda, stricta, e basi coarctatâ et subauriculatâ brevissimâ caulem amplectente reflexa, late lanceolato-acuminata, apice acutiuscula vel emarginato-truncatula, margine integerrimo magis minusve involuta, laevia, splendentia, costa destituta vel costis binis obsoletis praedita; areolatione e cellulis linearibus, confertissimis, pallidis, angustis, ad utramque baseos alam 3 maximis limpidissimis vel flavidis impressis, subquadrato-oblongis, vesiculaeformibus.

Florescentia hermaphrodita. Flores in ramis et ramulis axillares, gemmiformes. Gemmae ovato-subrotundae, patulae, oligophyllae: folia erecta, valde concava, arcte convoluta, latissime ovata, subrotunda, cu-

spidato-acuminata, apice serrulata, exteriora minora integerrima. Antheridia plura, oblonga, stipitata, archegoniis filiformibus parum breviora, paraphysibus destituta.

Fructus solitarii, laterales, pedicellati. Pedicellus e vaginula cylindrica adscendenti-erectus, brevis, vix supra ramos exsertus, tenuissimus, rubropurpureus, infra capsulam obsolete scabriusculus, ceterum laevis, flexuosus, siccando parum tortilis. Capsula erecta vel pedicelli flexura inclinata, minuta, ovata, constrictione sub orificio magis minusve urceolata, rubro-fusca, annulo destituta. Operculum capsulae longitudinem aequans vel superans, convexo-conicum, rostratum; rostro longo, aciculari, obliquo, varie flexo. Calyptra cuculliformis, laevis, in capsulis maturis rostro operculi modo inhaerens et a capsula divergens. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, erecto-incurvis, conniventibus, siccando recurvis apicibus inflexis, lineari-lanceolatis, dense trabeculatis, rufescentibus, linea mediana longitudinali solito latiore et pellucidiore ad mediam longitudinem fere evanida exaratis; *interius* e dentibus sedecim lineari-acuminatis, peristomio exteriori longitudine aequalibus ejusdemque dentibus alternis, carinato-concavis, carina saepe pertusis, flaviusculis, basi membrana carinato-plicata breviter exserta conjunctis, interjectis ciliis singulis rudimentariis vel nullis.

Habitat: ad truncos in Surinamo, FOCKE in herb. MIQUEL n°. 1190 et (forma minor) n°. 1338 ex parte. — Ad fruticum truncos planitierum arenosarum prope Joden-Savanna, KEGEL n°. 1109 et ? n°. 1199.

Tab. XIX. fig. 1. planta, gemmis floriferis onusta, 2. planta formae minoris, *nat. magnitud.*; 3. plantae ramus decies auctus; 4. 5. 6. 7. 8. folia, vicies aucta; 9. basis, 10. apex folii, *centies et quinquagies aucti*, 11. gemma florifera quinquagies aucta; 12. 13. ejusdem folia exteriora, 14. 15. interiora, 16. intimum, 17. perichaetium, *vicies aucta*; 18. genitalia centies et quinquagies aucta; 19. 20. capsulae operculatae, 21. capsula cum calyptra, *tricies auctae*; 22. peristomium, 23. idem siccum, *septuagies aucta*; 24. peristomii pars centies et quinquagies aucta.

*50. HYPNUM INVOLVENS P. Beauv. prodr. p. 65. Müll. Syn. musc. II. p. 495. *Hypnum gratum* Schwägr. et Brid. ex parte, Müll. Linnaea 1848. p. 198. *Leskea involvens* Hedw. Musci frond. IV. p. 27. tab. 11. *Leskea Omalia involvens* Brid. Bryol. univ. II. p. 326.

Habitat: locis udis inter radices fruticum, in sylvis prope Paramaribo, Kegel n°. 514.

PUGILLUS

SPECIERUM NOVARUM E FLORA BRYOLOGICA VENEZUELANA.

CAMPYLOSTELIUM VENEZUELANUM Dz. et Mb.

Plantae exiles, tenerae, e viridi lutescentes, simplices vel innovando ramosae, uberrime fructiferae, gregariae et radiculis suis intricato-ramosis adeo inter se cohaerentes, ut in caespitulorum modum terram micaceam investiant. Caulis simplex vel brevissime ramulosus, rubro-fuscus, humillimus, fragilis, valde radiculosus, inferne foliis minimis dissitis obtectus, superne foliis longioribus congestis comosus.

Folia superiora approximata, flexuose incurvata, saepe homomalla, e parte basilari latiore erecta caulem semiamplectente anguste lineari-lanceolata, obtusiuscula, parum oblique flexa, carinato-concava, costata, costa magis minusve valida rigida infra folii apicem eroso-denticulatum evanescente, ceterum integerrima, marginibus teneris propter costae curvaturam parumper flexuoso-plicatis; folia inferiora foliis superioribus comantibus multo minora, remota, lanceolata, erecto-patula, curvula; areolatione e cellulis subquadratis, minimis, valde chlorophyllosis et sub validissimo microscopii augmento tantum distinguendis in folii parte lineali, in basilari vero parte chlorophyllo destitutis hyalinis amplioribus magisque elongatis.

Florescentia dioica. Planta mascula simplex, femineâ multo humilior et tenerior, *Phascum pachycarpon* quasi referens; folia inferiora e parte basilari erecta latiore amplectente curvato-patula, ceterum praeter longitudinem foliis plantae femineae comantibus similia; folia superiora perigonialia bina e basi latiore convoluto-concavâ lanceolato-linearia, erecta, apice minus curvata, breviora, magis pellucida; folium perigonii intimum brevissimum, minimum, latissimum, valde concavum, obtusiusculum, antheridia prorsus involvens, costatum, costa obsoleta ad dimidiam folii

longitudinem evanescente, subintegerrimum, areolatione e cellulis subquadratis, omnibus hyalinis, iisdem ceterorum foliorum perigonii laxioribus. Antheridia pauca, circiter 6, brevissime stipitata, oblonga, paraphyses filiformes paucas longitudine subaequantia. Flores feminei in coma foliosa terminales, plures in eadem planta. Folia perichaetii exteriora foliis caulinis similia; intima pauca, minora, erecta, magis hyalina. Archegonia parva, paraphysibus paucis filiformibus brevissimis concomitata.

Fructus terminalis, ratione exilitatis plantae alte pedicellatus. Pedicellus e vaginula cylindrica capillaris, laevis, magis minusve arcuato-flexuosus, siccando sub capsula sinistrorsum tortus, lutescens. Capsula pedicelli flexura inclinata vel pendula, basi in collum breve attenuata, oblongo-cylindrica, fusca, laevis, siccitate infra orificium parum contracta, evacuata et vetusta obconica, annulata; annulo duplici, fragmentarie dehiscente, duabus seriebus cellularum minimarum trabeculaeformium transverseque lineatarum imposito. Operculum e basi conica oblique rostratum, rostro obliquo recto aciculari, longitudinem capsulae fere aequans. Calyptra conico-cylindrica, basi lacerulata, uno latere parum profundius incisa, laevis, operculo vix longior, cum eodem decidua. Peristomium simplex e dentibus sedecim in conum conniventibus, dein erectis, siccando apicibus incurvis, ad basin fere usque partitis, membrana basilari annuli altitudinem non superante unitis; cruribus lineari-subulatis, ad dimidiam circiter longitudinem articulatim trabeculatis, trabeculis semipellucidis obsolete longitudinaliter lineatis luteis, apice subulatis fragilibus sub valido augmento dense et oblique lineolatis, valde hygroscopicis. Sporulae subglobosae.

Habitat: prope Caracas Venezuelae, ubi collegit doctissimus P. W. KORTHALS.

Tab. V. fig. 1. Plantae naturali magnitudine; 2. planta foeminea florifera, 3. eadem fructifera, *decies auctae;* 4. eadem vicies aucta; 5. folia comalia quadragies aucta; 6. basis, 7. apex folii, *centies et quinquagies aucti*; 8. folium perichaetii intimum quadragies auctum; 9. archegonium centies auctum; 10. capsula operculata, 11. eadem evacuata

sicca, *tricies auctae*; 12. calyptra, 13. vaginula, *quadragies auctae;* 14. peristomium siccum septuagies auctum; 15. dentes peristomii cum annulo, centies et quinquagies aucti; 16. sporulae quadringenties auctae; 17. folium plantae masculae, 18. folium perigonii exterius, 19. interius, *quadragies aucta;* 20. antheridia cum paraphysibus quinquagies aucta.

OBSERVATIO. Generis *Campylostelii,* ab auctoribus Bryologiae Europaeae primo constituti, ab altera parte *Seligeriae* ab altera *Campylopodi* affinis, hucusque unica tantummodo species nota est, scilicet *C. saxicola.* Haec autem species muscorum rara, vel saepius praetervisa propter plantae exilitatem, regiones montosas Germaniae, Angliae et Hiberniae incolat. Prius detecta fuit a SCHRADERO et *Dicranum saxicolum* a WEBERO et MOHR nuncupatum est; dein a variis rei herbariae scriptoribus inter *Grimmias, Dryptodontes, Campylopoda, Trichostoma* et *Weisias* collocata est. Postquam vero auctores Bryologiae Europeae differentiam genericam muscorum accuratius indagaverunt, patuit *Campylostelium* separandi necessitas. — Planta nostra, Americae centralis incola et similia loca montosa inhabitans, alteram hujus generis speciem constituit. Ambae species evidentissime ad candem typum modulatae adeoque consimiles sunt, ut in indaganda differentia specifica subtiliori microscopii usu et analysi omnium plantulae partium opus sit. Praecipuas diversitatis notas *Campylostelii Venezuelani* largiuntur: florescentia dioica, foliorum apices obtusiusculi erosodenticulati, capsula brevicollis, annulus duplex, peristomii dentes magis evoluti.

BRYUM LANSBERGII Dz. et Mb..

Plantae in caespitulos dense confertae, uberrime fructificantes, laete virides, 0,005–0,01 altae, humiles et valde ramosae, ramis simplicibus rariusve iterum divisis, vel magis elongatae et simplices apiceque tantummodo innovatione una alterave brevi sub coma perichaetiali exortâ ornatae, inferne foliis dissitis et radiculis crebris obsessae, erectae.

Folia undique inserta, laxe imbricata, erecto-patula; caulina inferiora remota; superiora in comam perichaetialem conferta, fere duplo majora et subinde longitudinaliter plicata; ramulorum innovantium densius approximata, integerrima, caulinis longitudine aequalia, iisdem vero multo latiora, e basi lata ovato-oblonga, vix acuminata; reliqua e basi latiore lanceolato-acuminata, carinato-concaviuscula, marginibus exstantibus vel involutis rariusque superne parum recurvis tenuissime serrulata, costata, costa valida unacum apice vel paullo infra eundem evanescente, laxe areolata, retis areolis lineari-oblongis, flexuosis, parce chlorophyllosis, basilaribus multo majoribus subquadratis hyalinis.

Florescentia dioica. Planta mascula.... Folia perichaetii comalibus parum breviora, ceterum iisdem similia; archegonia pauca, 5–8, paraphyses copiosas longitudine aequantia.

Fructus terminalis, solitarius, alte pedicellatus. Pedicellus e vaginula angusta subcylindrica erectus, basi subgeniculatus, flexuosus, exsiccando haud contortus, tenuissimus, rubro-purpureus, 0,015–0,02 et ultra altus, apice incurvus. Capsula inclinata, magnitudine et forma admodum varia, ovali- vel pyriformi-oblonga, rarius subcylindracea, longicolla, collo tertiam dimidiamve fructûs totius partem aequante, badia, senio profunde rufescens, exsiccando infra orificium obscurius coloratum valde constricta, annulata; annulo spiraliter dissiliente, magno, e tribus cellularum seriebus composito. Operculum majusculum, convexum, breviter mammillatum. Calyptra conico-subulata, latere fissa, glabra, pallida, fugax. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, erecto-conniventibus, siccando erecto-incurvis, lanceolato-acuminatis, pallide luteo-rubris, acumine hyalino excepto linea mediana leviter notatis, grosse trabeculatis; *interius* e membrana ad peristomii exterioris altitudinem dimidiam fere exserta, carinato-plicata, apice in processus sedecim lanceolato-acuminatos, carina pertusos vel fissos, erecto-conniventes, exsiccando erectos, dentes externos altitudine aequantes divisa, interjecto ciliolo tenerrimo, e basi latiore perforata aciculari, vel in crura duo appendiculata fisso.

Habitat: ad terram prope Carracas, unde doct. P. W. KORTHALS reportavit et vir nobiliss. VAN LANSBERGEN nobiscum communicavit.

Tab. IV. fig. 1. Plantae ramosae, 2. planta subsimplex elongata, *nat. magnit.*; 3. planta decies et quinquies aucta; 4. pars ramuli sterilis cum tuberculis in axillis foliorum, tricies aucta; 5. tuberculum centies auctum; 6. folium caulinum, 7. 8. 9. folia comalia, 10. 11. folia innovationum, 12. idem a latere, *tricies aucta*; 13. basis, 14. apex folii e ramulo innovante, *centies et quinquagies aucti*; 15. archegonia cum paraphysibus centies aucta; 16. vaginula vicies aucta; 17. 18. capsulae decies et quinquies auctae; 19. capsula operculata vicies aucta; 20. calyptra tricies aucta; 21. annuli pars centies et quinquagies aucta; 22. peristomium, 23. idem exsiccatum, *quadragies aucta;* 24. peristomii pars centies aucta.

OBSERVATIO. Huic speciei nomen tribuimus viri nobilissimi R. VAN LANSBERGEN, apud Venezuelanos aliosque Americae centralis populos, felici cum eventu, non tantum publicis Batavorum rebus prospicientis, sed simul historiae naturalis operam navantibus indefesse et liberalissime faventis.

In ramulis sterilibus et innovationibus saepius foliorum axillis (praecipue superiorum) tubercula inseruntur pedicellata, parva, intense brunnea, moriformia, quae proxime conveniunt cum iisdem organis in *Bryo erythrocarpo* et, aeque ac in illa specie, ulteriorem evolutionem haud videntur admittere.

NECKERA KORTHALSIANA.

Planta tenera, nitida, amoene virens vel lutescens, epidendra, polymorpha, eleganter dendroideo-ramosa et flagellatim effilescens, parce fructigera. Caulis primarius filiformis, supra arborum corticem prorepens et radicans eique arcte adfixus, junior pallide viridis foliolis minimis lanceolatis remotis obtectus, vetustior colore rubro vel nigro-fusco tinctus, duriusculus, tenax, subaphyllus. Caules secundarii in optimo plantae vigore erecti vel erecto-curvati, dendroideo-ramosi, inferne nudiusculi

sive foliolis minimis stipulaeformibus nonnullis obtecti, mox vero distiche, infra densius, versus apicem laxius et brevius ramosi et foliosi; rami saepe iterum eodem modo divisi, ita ut caules secundarii unacum divisionibus formam ovalem complanatam acquirant. Ramuli patentes, curvati, versus caulis apicem minus regulariter divisi, simplices, breves, in caulis apice effilescente vel flagelliformi brevissimi remoti minimi alterni. Non solum e caulis apice, sed etiam ex ejusdem basi vel ex ramorum apicibus excrescunt ejusmodi elongationes filiformes, capillares, flexuoso-curvatae, tenerrimae, saepe longissimae.

Folia caulina infima remota, minima, alterna, erecto-patentia, ovato-acuminata, acumine subulato, basi concava, apice deflexa, costata, costa ad dimidiam folii partem vel paullo altius evanescente, integerrima vel obsoletissime serrulata. Non longe a caulis basi, ubi ramificatio incipit, folia magnitudine increscunt et evadunt subhexasticha, saepe disticha, bifariam disposita, lateralia subhorizontaliter patentia, antica et postica erecto-patula minora saepeque deficientia in caule minus vigente, oblonga vel ovato-oblonga, semiamplexicaulia, concava, subcymbiformia, apice magis minusve obtuso breviter cuspidulata, carinato-costata, costa viridi paullulum infra apicem evanescente, apice inaequaliter dentata, versus basin obsoletius serrulata, ima basi integerrima, nitida, tenuia. Folia ramulina duplo fere minora, plerumque disticha, magis ovato-concava vel obovato-oblonga, ceterum caulinis similia. Folia caulis primarii et ramorum flagelliformium minima, stipulaeformia, nudo oculo vix percipienda. Folia istorum flagellorum ramulina disticha ita approximata, ut totus ramulus, ad *Hypni plumulosi* quodammodo instar, plumulae formam induat, laete viridia, tenerrima. Areolatio foliorum e cellulis hexagono-oblongis, valde regularibus; apicalibus hexagono-subrhombeis, laxioribus, magis pellucidis.

Florescentia dioica. Planta mascula femineâ parum gracilior, tenerior. Flores masculi in gemmulis ovatis, subclausis, subhexaphyllis, minimis, alternatim et distiche in axillis foliorum lateralium rami secundarii dispositi. Folia perigonii exteriora minora, patula, basi concava caulem amplectentia, apice recurva; interiora tria erecta, convoluto-concava,

ovato-lanceolata, acuminata; omnia costa destituta, integerrima: antheridia breviter stipitata, ovali-oblonga, paraphysibus paucis filiformibus curvatis paullo breviora. Flores feminei in gemmulis ovato-subulatis axillares, intra folia caulis secundarii et ramulorum collocati. Folia perichaetii late ovato-acuminata, acumine flexuoso recurvo, erecta, basi convoluta, obsolete costata, integerrima; folium perichaetii intimum minimum, erectum, costa basilari tantummodo praeditum. Archegonia parva, plurima, paraphysibus numerosis filiformibus polyseptatis vulgo breviora.

Fructus lateralis, pedicellatus. Pedicellus e vaginula brevi subhorizontaliter a caule divergens, flexuosus, laevis, 0,015 circiter altus. Capsula parva, ovalis, laevis, siccando et pedicelli torsione basi parumper plicato-rugosa et infra orificium paullo contracta, annulo destituta. Operculum .... Calyptra .... Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, trabeculatis, linea mediana longitudinali ad dimidiam altitudinem notatis, lineari-lanceolatis, acuminatis, erecto-conniventibus, siccitate apicibus inflexis, punctulatis; *interius* e dentibus sedecim erectis, dentibus peristomii externi alternis iisdemque longitudine aequalibus, linearibus, carinato-concavis, fenestratis, punctulatis, basi membrana carinato-plicata satis alte exserta conjunctis.

Habitat: in Venezuela ad terram, in sylvis juxta Rio Catuche.

Tab. IX. fig. I. Planta mascula, 2. 3. plantae femineae, *natur. magnit.*; 4. planta quinquies aucta; 5. ramulus cum gemmis masculis, decies et quinquies auctus; 6. gemmula foliacea sexagies aucta; 7. folium caulinum inferius stipulaeforme, 8. folium caulinum laterale superius, 9. folium rameum laterale, 10. folium caulinum anticum, 11. folia perigonii tria inferiora, 12. folium perigonii interius, *tricies aucta*; 13. basis, 14. apex folii, *centies et quinquagies aucti*; 15. antheridia cum paraphysibus sexagies aucta; 16. archegonium cum paraphysibus centies auctum; 17. 18. perichaetia, 19. folium perichaetii internum, 20. vaginula, 21. capsula, 22. capsula sicca, *vicies aucta*; 23. peristomium centies auctum; 24. sporae trecenties auctae.

Observatio. Hanc plantam delicatulam et elegantissimam debemus

curae celeberrimi P. W. KORTHALS, qui eam cum aliis compluribus rarissimis muscorum speciebus in America centrali detexit et nobiscum humanissime communicavit.

METEORIUM PENICILLATUM.

Planta cladocarpa, dendrophila, mollis, flaccidissima, exsiccando rigidiuscula, in Synopsi Muscorum clarissimi MÜLLERI inter Pilotricha disponenda. Caulis teres, gracillimus, capillaris, basi nuda fusco-nigrescente supra arborum ramos et truncos prorepens vage divisus, dein pendulus, elongatus, 0,15–0,2 longus, iterum parce divisus vel ramulis alternis totoque ambitu dispositis simpliciter pseudo-pinnatus, flexuosus, tenuissimus, sordide et pallide luteo-viridis, foliis imbricatis dense obtectus; ramuli breves, 0,014 circiter longi, patentissimi, horizontales, remotiusculi, magis minusve flexuoso-curvati, subsimplices, teretiusculi, subulato-attenuati, uberrime florigeri et fructiferi.

Folia caulina in series disposita, confertius sexfariam imbricata, erecta, apice patula, exsiccando appressa, e basi breviter truncata et utrinque auriculis amplis margine eroso-denticulatis praeditâ late cordato-lanceolata, breviter acuminata, acumine planiusculo saepius semitorto, cochleariformi-concava, integerrima, margine versus basin in vaginae speciem undulato-convoluta, opaca, papillis teneris dense obsita, costata, costa tenui pellucidiore infra vel ad folii mediam longitudinem evanescente; areolatione e cellulis minutis, rotundato-hexagonis; basilaribus et utriusque auriculae paullo majoribus, laxioribus, pellucidioribus, vix papillosis. Folia ramulorum inferiora caulinis similia; superiora paullo laxius disposita, tertia parte minora, basi auriculis minoribus praedita, minus cochleatim convoluta, margine subrevoluta, ceterum caulinis similia.

Florescentia dioica. Flores masculi gemmaeformes, juxta ramulorum totam longitudinem et ambitum inserti, parum exserti, uberrimi, ovales, polyphylli, brevissime stipitati; folia parva, exteriora ramulinis similia, interiora sensim angustiora ovato-acuminata obtusa convolutaceo-concava,

costata, costa tenuissima vel obsoleta. Antheridia pauca, circiter sex, subcylindrica, laxe areolata, stipitata, adjectis paraphysibus paucis filiformibus antheridia longitudine aequantibus iisdemve brevioribus. — Flores feminei in ramulo proprio brevissimo curvulo altius exserti, gemmaeformes, praemagni, curvati, subcylindrici: folia exteriora minora, interiora caulinis multoties longiora, anguste lineari-acuminata, apicibus falcato-incurva, concava, longitudinaliter subplicato-striata, margine integerrimo rarius summo apice serrulato recurva, caulinis pellucidiora iisdemque altius et distinctius costata, elongate dense areolata. Archegonia 4–5 robusta, profunde colorata, paraphysibus nullis appositis.

Fructus lateralis solitarius, intra folia perichaetii stricta longissima pallida immersus, validus. Pedicellus e vaginula glabra subcylindrica et summo margine tantum pilis rarioribus obsita erectus, brevissimus, vix 0,001 altus, crassus, superiora versus attenuatus, cum capsula quasi nodulose articulatus. Capsula oblonga vel oblongo-cylindrica, basi attenuatâ parum plicata, laevis, exsiccando infra orificium paullo contracta, subgibbosa, fusca, vetusta nigrescens. Operculum breve, conico-acuminatum, suboblique incurviusculum. Calyptra parva, conico-mitraeformis, capsulae supremam partem tantummodo tegens, basi laciniata, densissime pilosa; pilis strictis, rigidiusculis, ima basi subflexuosis et subinde connatis vel anastomosantibus ibidemque structurae compositae, superne e cellularum serie unica compositis, nodulose articulatis Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, erectis, apice parumper recurvantibus, exsiccando erecto-incurvis apicibusque suis in conum angustissimum conniventibus, paullo infra capsulae orificium intus adnatis, anguste lanceolato-acuminatis, excepto acumine capillari tenerrime papilloso linea mediana longitudinali notatis, grosse trabeculatis; *interius* e membrana brevissima, vix exserta, vix carinato-plicata, apice fissa in processus sedecim dentibus externis breviores iisdemque alternos, lineari-acuminatos, tenerrimos, valde nodulose trabeculatos, in conum conniventes, humiditate erectiusculos.

Habitat: in Venezuela, ad arbores in sylvis juxta Rio del Tuy, unde benevole misit vir nobiliss. VAN LANSBERGEN.

Tab. XI. fig. 1. Planta nat. magnit.; 2. rami particula cum ramulo, perichaetio fructifero et gemma florifera feminea, decies aucta; 3. 4. folia ramea, 5. folium rameum a dorso, 6. folium e ramuli apice, 7. folium rameum compressum, *tricies aucta*; 8. basis, 9. apex folii ramei, *ducenties aucti*; 10. flos masculus, 11. antheridium cum paraphysibus, *sexagies aucta*; 12. vaginula cum pedicello et capsula operculata, decies et quinquies aucta; 13. calyptra vicies et quinquies aucta; 14. pili calyptrae centies aucti; 15. peristomium, 16. idem exsiccatum, *tricies aucta;* 17. peristomii pars centies aucta; 18. archegonia sexagies aucta; 19. folium perichaetii decies et quinquies auctum.

Observatio. Species nostra nova *Pilotricho tenuissimo* Müll. et *Pilotricho fuscescenti* Brid. proxima est. A priori distat foliis haud remotissimis, ab altero foliorum forma et directione eorumdemque margine integerrimo.

METEORIUM MACRANTHUM.

Planta dendrophila, nitens, luteo-viridis, exsiccando aureo-lutescens, late et laxe caespitosa ,mollis, flaccida. Caulis primarius arborum cortici adnatus; caulis secundarius longe pendulus vel procumbens, flexuosus, semipedalis et ultra, praeter extremitatem attenuatam nudiusculus, vage et inordinate vel subpinnatim ramulosus. Ramuli breves pro plantae ratione, 1-2 pollicares, teretes, turgidiusculi, simplices vel subinde uno alterove ramulo praediti, flexuoso-curvati, fructigeri, remotiusculi vel ubi arborum cortici incumbunt valde approximati, fere semper unum latus spectantes licet ex toto caulis ambitu egrediantur, versus plantae extremitatem flagelliformem numero et longitudine decrescentes ibidemque saepius gemmiformes.

Folia valde conferta, densissime imbricata, erecto-patentia acumine paullo recurvo, sicca et humida in series quinque distinctas spiraliterque contortas disposita, semiamplexicaulia, e basi ob alas parum constrictas angustiore et undulato-subplicatâ cochleariformi-ovata vel obovato-subrotunda, subito in mucronem brevem contracta, cymbiformi-concava,

integerrima, marginibus erectis inferne subrevolutis et versus folii apicem magis minusve involutis, costa destituta; areolatione e cellulis angustissime linearibus, aequalibus et ima basi vix majoribus; alaribus paucis quadrato-rotundatis, amplioribus, pellucidis, in orbem dispositis.

Florescentia dioica. Gemmae floriferae masculae in planta propria femineae simillima, axillis foliorum insertae, in eodem ramulo plurimae, brevissime stipitatae, parvae, apice suo vix supra folia ramea emersae, ovato-oblongae, polyphyllae: folia exteriora multoties minora, squamaeformi-subrotunda; interiora sensim majora, ovato-oblonga; intima latissime oblonga; omnia erecta, acuminulata, convoluto-concava, integerrima, costa destituta. Antheridia pauca, 6–8, cylindrica, magna, breviter stipitata, adjectis paraphysibus plurimis, filiformibus, pauciseptatis, antheridia longitudine superantibus. — Gemmae femineae floriferae magnae, ramulo proprio brevi suffultae, axillares, juxta totam ramulorum longitudinem et ambitum insertae, supra folia ramulina altius emersae, subcylindricae. Folia perichaetii inferiora minima, subsquamaeformia, patentia; superiora sensim magnitudine increscentia rameisque quintuplo vel sextuplo longiora, erecta, arcte convoluta, e basi lanceolata in acumen elongatum flexuosum attenuata, fructum ad perfectam usque maturitatem prorsus includentia, integerrima, albicantia, costa destituta, densissime et elongate areolata. Archegonia plurima, 16–20, parva, intense colorata, paucissimis plerumque paraphysium rudimentis 2-3 septatis adjectis, rarius paraphysibus 3–5 filiformibus tenerrimis archegonia longitudine superantibus appositis.

Fructus in ramulo proprio brevissimo lateralis, solitarius, rarius geminus in singulo perichaetio. Vaginula subnulla, unica pilorum serie coronata. Pedicellus vix lineam altus, crassus, capsulam, oblongo-cylindricam, erectam, laevem, exannulatam, pallide fuscam. Operculum conico-acuminatum, acumine summo paulisper incurvo, vix dimidiam capsulae longitudinem acquirens, margine interiore orificii capsularis receptum. Calyptra conico-mitraeformis, parva, diu persistens, operculum et supremam capsulae partem tantummodo tegens, structurae compactioris, subcoriaceo-dura, basi laciniatâ paullo contracta, apice parce pilosa,

archegoniis sparse obsita. Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, angustis, incurvis, exsiccando erecto-conniventibus, paullo infra capsulae orificium insertis, lanceolato-linearibus, acuminatis, summo apice punctulato excepto linea mediana longitudinali teneriore notatis, nodulose trabeculatis; *interius* e dentibus sedecim linearibus, piliformi-acuminatis, ad basin usque punctulatis, erectis, carinatis, acumine excepto e serie duplici cellularum compositis, dentibus externis longitudine aequalibus iisdemque alternis, tenerrimis, basi membrana brevissima haud supra capsulae orificium emersa unitis, interjectis ciliorum rudimentis binis e cellulis 1–2 compositis. Sporae subglobosae, punctulatae.

Habitat: in Venezuela, ad arbores in sylvis juxta Rio Catuche, unde communicavit vir nobiliss. VAN LANSBERGEN.

Tab. XII. fig. 1. Planta natur. magnit.; 2. ramuli apex decies auctus; 3. ramuli particula a superiore, ut foliorum appareat dispositio in series 5 spirales, decies et quinquies aucta; 4. 5. folia ab anteriore, 6. a latere, *quadragies aucta*; 7. basis, 8. apex folii, *ducenties aucti;* 9. flos masculus cum folio ramulino, 10. folium perigonii medium, 11. folium ejusdem intimum, *vicies et quinquies aucta*; 12. antheridium cum paraphysibus quinquagies auctum; 13. flos femineus decies auctus; 14. archegonium cum paraphysium rudimentis, septuagies et quinquies auctum; 15. ramulus proprius fructûs, ablatis foliis praeter perichaetii duo intima, cum vaginula et capsula, decies auctus; 16. calyptra decies et quinquies aucta; 17. operculum, 18. peristomium, 19. idem exsiccatum, *vicies et quinquies aucta;* 20. peristomii pars quinquagies aucta; 21. sporae trecenties auctae.

HOOKERIA DIVARICATA.

Planta tenera, humida flaccida mollis, sicca rigidiuscula, fragillima, prostrata, laete virens, nitens, supra arborum ramos corticem vegetabiliumque quisquilias humidas prorepens. Caulis filiformis, tener, flexuose proserpens, radiculis rubro-purpureis minimis fasciculatis numerosis

aliis plantis affixus, subpinnatim ramosus. Rami remoti, divaricati, flexuosi, uti caules complanati et foliosi, apice paullo assurgentes.

Folia hexasticha; lateralia imprimis siccitate recurvo-patentia, approximata; antica et postica biserialia, magis remota, oblique erecto-adpressa; lateralia e basi semiamplexicauli oblique inserta complicata late ovata vel oblonga, breve cuspidata, flexuose recurvata; antica et postica his minora et parum angustiora, apice magis erecto flexuoso; omnia basi excepta evidenter serrulata, costata, costis binis divergentibus obscure viridibus basilaribus infra tertiam folii partem evanescentibus; areolatione valde laxa, pellucida, e cellulis hexagono-oblongis, marginalium unica série versus apicem folii linearibus angustis.

Florescentia monoïca. Flores utriusque sexûs gemmiformes, axillares, in eodem ramulo plures, intra foliorum basin reconditi. Flores masculi in gemmula minima, ovata, hexaphylla, fere clausa; folia perigonii duo exteriora minima, ovato-lanceolata, acuta vel cuspidata; duo media his triplo longiora, ceterum forma similia, erecta; duo intima latissime ovata, breviter cuspidata, valde concava, convoluta, cuspide parum reflexa; omnia integerrima, costa destituta, areolatione valde laxa et hyalina. Antheridia paucissima, stipitata, oblongo-cylindrica, paraphyses raras filiformes longitudine subaequantia. — Flores feminei in gemma ovato-subulata, oligophylla; folia perichaetii exteriora duo minima, ovato-lanceolata, acuta; media ovato-lanceolata, sensim in cuspidem attenuata, erecto-patula, basi tantum vaginulam amplectentia; intima late ovata, cuspidata, cuspide dein magis recurvo; omnia integerrima, costis basilaribus destituta vel earumdem vestigiis obsoletis tantum praedita. Archegonia pauca, minima, nonnullis paraphysibus filiformibus longiseptatis flexuosis breviora.

Fructus lateralis, breviter pedicellatus, parvus. Pedicellus e vaginula cylindrica pallida erectus, apice curvatus, scaber, rigidiusculus, satis robustus. Capsula horizontalis vel nutans, obovata, in pedicellum paullo attenuata, laevis, siccando vero basi rugoso-plicata parumper torta et infra orificium contractiuscula, annulo destituta. Operculum conico-rostratum, rostro curvato subulato, dimidiam capsulae longitudinem fere

adaequans. Calyptra .... Peristomium duplex: *exterius* e dentibus sedecim aequidistantibus, lanceolato-acuminatis, erecto-incurvis, conniventibus, siccando apicibus introflexis, dense trabeculatis, punctulatis, rubropurpureis, excepto acumine linea mediana latiore pallida notatis; *interius* e dentibus sedecim, peristomio externo parum longioribus ejusdemque dentibus alternis, lanceolatis, subulato-acuminatis, carinatis, punctulatis, basi membrana parum exserta carinato-plicata lutescente conjunctis.

Habitat: in Venezuela, juxta Rio Catuche, ubi collegit P. W. Korthals.

Tab. XIII. fig. 1. Planta nat. magnit.; 2. ejusdem ramulus octies auctus; 3. folia lateralia, 4. folia antica et postica, 5. fructus pedicellatus cum perichaetio, 6. capsula sicca, *vicies et quinquies aucta*; 7. capsula operculata humida quadragies aucta; 8. basis, 9. apex folii, *centies aucti;* 10. perigonium quadragies auctum; 11. antheridia cum paraphysi quinquagies aucta; 12. flos femineus quadragies auctus; 13. archegonium cum paraphysi centies auctum; 14. peristomii pars centies et vicies et quinquies aucta.

INDEX SPECIERUM ET SYNONYMORUM.

(SYNONYMA LITERIS CURSIVIS INDICANTUR.)

Pag.

Acosta cuspidata Müll. . . . 25
» *Swartzii* Müll. . . . —
Arthrocormus pulvinatus *Dz. et Mb.* 6
Barbula *acuminata* Brid. . . 16
» agraria *Sw.* (Tort.) . . 15
» *conica* Brid. 16
» *domestica* Brid. . . . —
» *latifolia* Brid. . . . —
» *pallens* Brid. . . . . —
» *stellata* Brid. . . . —
Bryum *acuminatum* Sw. . . . —
» *agrarium* Sw. . . . . —
» *albidum* L. 8
» Crugeri *Hmpe.* . . . —
» Lansbergii *Dz. et Mb.* 40
» *nanum, lariginis etc.* Dill. 8
» *octoblepharis* Gmel. . . —
Callicosta bipinnata Müll. . . 20
» *evanescens* Müll. . . 21
Calymperes Afzelii *Sw.* . . . 9
» *androgynum* Mtge. 11
» disciforme *Müll.* . —
» erosum *Müll.* (Syn.) 9
» *erosum* Müll. (Linnaea) 11
» lonchophyllum *Schw.* —
» *Palisoti* Schw. . . 9
» Richardi *Müll.* . . —
» *rigidum* Mtge. . . 11
Campylopus Surinamensis Müll. 9
Campylostelium Venezuelanum *Dz. et Mb.* 38
Conomitrium pellucidum *Müll.* 3
Daltonia bipinnata W. Arn. . 20
» *disticha* W. Arn. . . 19
» *undulata* W. Arn. . 20

Pag.

Dicranum *falcifolium* Hook. . 3
» *Martianum* Hnsch. . 6
» Savannarum *Müll.* . 9
» Surinamense *Müll.* . —
» *ustulatum* Brid. . . —
Drepanophyllum fulvum *Rich.* . 3
Fissidens *falcifolius* Schwägr. . —
» intermedius *Müll.* . 5
» Kegelianus *Müll.* . . 3
» Kegelianus β *Müll.* . 5
» pellucidus *Hnsch.* . . 3
» Splitgerberianus *Dz. et Mb.* 4
Fontinalis crispa Sw. . . . 20
» *disticha* Sw. . . . 19
Hookeria affinis *Müll.* . . . 24
» divaricata *Dz. et Mb.* 49
» pallida *Hnsch.* . . . 24
» Parkeriana *Hook.* . . —
» *scabriseta* Schwägr. . —
» Surinamensis *Müll.* . —
» *Swartzii* Schwägr. . 25
» *tomentosa* Grev. . . 18
» *Weigeltiana* Müll. . 24
Hypnum *brachypoma* Schw. . 29
» *cirrhiferum* Spr. . . 21
» congestum *Sw.* . . . 33
» cuspidatifolium *Müll.* 25
» *gratum* Schwägr. . . 37
» *instratum* Brid. . . 31
» involvens *P. Beauv.* . 37
» *Jamaicense* Gmel. . . 20
» Kegelianum *Müll.* . 31
» microtheca *Müll.* . . 33
» *mucronatum* P. Beauv. 18
» papillosum *Hnsch.* . . 27
» *patulum* Hedw. . . 21

Pag.

Hypnum *pennatum, ornithopodioides* Dill. . . . 18
» planum *Brid.* . . . 31
» pungens *Hedw.* . . 35
» Richardi *Schwägr.* . . 31
» *simplex* Brid. . . . 29
» *simplicissimum* Brid. . —
» *spirale* Müll. . . . 27
» subdenticulatum *Müll.* 25
» subsimplex *Hedw.* . . 29
» Surinamense *Dz. et Mb.* 25
» *terrestre* Aubl. . . . 20
» *tomentosum Hedw.* . . 18
Hypopterygium tomentosum *Müll.* —
Isothecium patulum Mtge. . . 21
» *pentastichum* Müll. . 19
» *Richardi* Brid. . . 31
» *subsimplex* Brid. . 29
Leiotheca mucronifolia Brid. . 17
Lepidopilum affine Müll. . . 24
» *Surinamense* Müll. —
Leskea cespitosa Brid. . . . 31
» *congesta* Brid. . . . 33
» *cymbifolia* Brid. . . . 31
» *Dominicensis* Mtge. . . —
» *involvens* Hedw. . . . 37
» *Kegeliana* Müll. . . . 31
» *ornithopodioides* Brid. . 18
» *patens* Hnsch. . . . 35
» *pentasticha* Hnsch. . . 20
» *pungens* Sw. 35
» *subpinnata* Brid. . . . 31
Leucobryum Martianum *Hmpe.* 6
Macromitrium *Kegelianum* Müll. 18
» mucronifolium *Schwägr.* 17
» pentastichum *Müll.* . 18
Meteorium macranthum *Dz. et Mb.* 47
» patulum *Dz. et Mb.* . 21
» penicillatum *Dz. et Mb.* 45

Pag.

Neckera *bipinnata* Schwägr. . 20
» Boryana *Müll.* . . . 19
» disticha *Hedw.* . . . —
» funalis *Müll.* . . . 20
» Korthalsiana *Dz. et Mb.* 42
» pulchella *Müll.* . . . 19
» quinquefaria *Müll.* . . —
» *retusa* Brid. . . . . —
» *undulata* Brid. Hedw. . 20
Octoblepharum albidum *Hedw.* 8
» cylindricum *Schimp.* —
» *cylindricum* Splitg. 7
Orthotrichum mucronifolium H. et Grev. 17
Pilotrichum bipinnatum *Brid.* . 20
» bipinnatum β evanescens (γ) *Müll.* . 21
» *distichum* P. Beauv. 19
» *funale* Wils. . . 20
» *patulum* Brid. . . 21
» *truncatum* P. Beauv. 19
» undulatum *P. Beauv.* 20
Pterigynandrum pulchellum Brid. 19
Pterogonium Boryanum Mtge. . —
» *pulchellum* Hook. —
» *urceolatum* Schwägr. —
Racopilum insigne Hnsch. . . 18
» *mnioides* P. Beauv. —
» *tomentosum* Brid. . —
Schlotheimia Kegeliana *Müll.* . —
Sphagnum pennatum undulatum Dill. 20
Syrrhopodon cryptocarpos *Dz. et Mb.* 14
» longisetaceus *Müll.* 11
» Miquelianus *Müll.* —
» Surinamensis *Dz. et Mb.* 12
Tortula decipiens Brid. . . . 16

A.J. Kouwels ad nat.

Fissidens Splitgerberianus Dz. et Mb.

NATURAL HISTORY

A.J. Kouwels ad nat.

Arthrocormus pulvinatus Dz. et Mb.



A.J. Kouwels ad nat.

Calymperes Richardi Müll.

A.J Kouwels ad nat.

Bryum Lansbergii Dz. et Mb.



A. J. Kouwels ad nat.

Campylostelium Venezuelanum Dz. et Mb.

NATUR. HISTORY

A.J.Kouwels ad nat.

Syrrhopodon Surinamensis Dz. et Mb.

A.J Kouwels ad nat

Syrrhopodon cryptocarpos Dz. et Mb.

HISTORY.



A. J. Kouwels ad nat.

Barbula agraria Sw.

HISTORY

A.J. Kouwels ad nat.

Neckera Korthalsiana Dz. et Mb.

A. J. Kouwels ad nat.

Meteorium patulum Dz. et Mb.

NATURAL HISTORY.



A J Kouwels ad nat.

Meteorium penicillatum Dz. et Mb.

BRITISH MUSEUM



A.J Kouwels ad nat.

Meteorium macranthum Dz. et Mb.

NATURAL HISTORY.

A J Kouwels ad nat.

Hookeria divaricata Dz. et Mb.

A. J. Kouwels, ad nat.

Hypnium Surinamense Dz. et Mb.

NATUR… HISTORY.

A. J. Kouvels ad nat.

Hypnum papillosum Hornsch.

NATURAL HISTORY.

A.J Kouwels ad nat

Hypnum subsimplex Hedw.

NATU[illegible]STORY.

A. J. Kouwels ad nat.

Hypnum Kegelianum Müll.



A.J.Kouwels ad nat.

Hypnum microtheca Müll.

NATURAL HISTORY

A.J.Kouwels ad nat.

Hypnum pungens Hedw.

NATURAL HISTORY